QVOD SEDIMENTVM SANORVM, AEGRORVMQVE CORPORVM NON SIT EIVSDEM SPECIEI.

Aduerſus FERDINANDVM Caſſanum, & alios contrarium ſentientes.

IOANNE Andrea Nola Crotoniata, Art. & Med. doctore, CLARISS. ALTIMARI diſcipulo, Auctore.

Habentur inſuper contra eoſdem, præter alios grauiſſimos Logicæ, Philoſophiæ, ac Medicinæ errores:

Quòd ſedimentum in ægris non ſit ſemper pars humoris putridi, nec in eo omnes humores contineantur.
Quòd in intermittentibus febribus humor intra uaſa non putreſcat.
Quòd temerè Arabes, præſertim Auicennam, de cauſa coniuncta redarguant.
Quòd de continenti ſeù contentiua cauſa cum Galeno prauè ſentiant.



VENETIIS, M D LXII.

IOANNI

ALTIMARO ARTIS

ET MEDICINAE DOCT.
PRAESTANTISS.

IOANNES ANDREAS NOLA
CROTONIATA. S. P. D.

CVM & huius vrbis poſitione, & cæli clementia ægris ſubuenire non oporteret, ad ea me ſtudia contuli in quibus ætatem meam præteritam ferè conſumpſeram, & reconditis Altimari è fontibus hauſeram: ſed quantam cupiditatem hominibus inijciat nouitas, non te fugit. Ideoque commiſeram amicis proficiſcentibus Neapolim, ut ſiquid noui in apertum prodijſſet, qua potuiſſent diligentia, ad me afferrent: eſt enim omnibus à natura datum, ut nouitate commoueantur. Sed, Dij boni, quàm nouum quoddam & inauditum imperitorum genus,

neſcio qua ſorte ad me attulerunt. Aiebant enim ſe à librarijs accepiſſe quaſdam diſperſas cartas per angulos bibliothecæ, quibus pro librorum tegumento uterentur, easque in uolumen redigiſſe, & caſu poſtea cum reliquis libris miſcuiſſe; quas ego dum legerem, quæ monſtra in medicina, Iane doctiſs. animaduerti, ne dicam prodigia poſteritati pernitiem minantia? Aſſerebat enim cartarum auctor ille præter cætera, ex Gal. ſententia, ſedimentum quod aiunt in vrinis ſanorum, idem eſſe ſpecie quod ægrorum; idque præceptorum ſuorum Pauli monaci, & Ioannis Antonij Piſani comprobatum. Quod uidens (nihil equidem huius ignoti hominis me nugæ mouèbant) uix me continere potui quin clamarem, ò fata, ò tempora; putaresne unquam accidere poſſe, ut ij ambo in tot errores inciderent? quorum alterum, Monacum inquam, etiam mirabar minime in omnibus cæcum, in hoc etiam fuiſſe cæcatum. at Piſanum quis hoc crederet, publicè medicinam profitentem, in hac eſſe hæreſi, quæ ullum ſequitur florem orationis,

nis, aut Galeni ſententiæ? Quæ omnia, etſi Altimaro noſtro præceptori doctiſs. repugnare uideantur; non propterea mihi ſtomachum faciebant: ea enim eſt auctoritate apud omnes in Europa, vt nominis ſui claritatem, horum tenebræ obſcurare non poſsint. ſed ne poſthac noceant poſteritati, propterea omnibus præſtare uolui, quantum inuidus ſimiolus iſte, & præceptores ſui a Galeni ſententia aberrarint: Tu amabo qua ſoles in amicos humanitate atque officio, quicquid erit, has noſtras lucubrationes ſuſcipe. Non enim uereor quin ſi frænum, ut aiunt, momorderis, & iſtos a ſua ſententia diſcedere, & diſcipulos hiſce præceptoribus dediſſe operam pœnitere. Vale, measq́ partes agito, quando & ipſe tuas, non autem te dignas, agere conſtitui, ſi quid contra homines nullius famæ, aut nominis agere oporteret.

IOANNI ANDREAE NOLA CROTONIATAE

AR. ET MED. DOCT. ERVDITISS.

Ioannes Altimarus.

S.

NON multò ante hac, peritiſsime Nola, tuam accepi Epiſtolam, unà cum doctiſs. opuſculo in neſcio quem Ferdinandum Caſſanum, & alios conſcripto: Quòd ſanè lætitiæ non parum mihi attulit, cum in eo ſingularem amorem, præclaram eruditionem, & miram perceperim diligentiam. Nam Clariſs. Altimari patris mei, præceptoriſq; noſtri ueram doctrinam falſo calumniari paſſus non es, & præſtanti ingenio tuo horum caſtigaſti ignorantiam, tamque celerrimè, ut non admirari non poſsim: Prius nanque temerarias ipſorũ a te uidimus exploſas ſentẽtias, fugataq; uenena (quæ tandem liuore & rabie perciti, euomere coacti ſunt) quàm libellum omni damnatione, & ignominia dignum. Ego, quod ad me ſpectat, & tibi plurimum debeo, & grates refero innumeras, quòd meas hac in re ſuſcipiendo partes, tam uelociter

citer

citer & eruditè horum notaueris ineptias. Quàm obrem tam doctum opuſculum typis excudendum curaui, ratus poſteris utilimum, tibi honori, & ipſis dedecori, perpetuò forè. Et diſcant poſthac quid a ſcribendo differat, pueris ineruditis falſa ſuadere, & in angulis ſermonem habere: certoque ſciant in Academia noſtra nunquam defuturos qui Altimari, aut potius Galeni doctrinam acerrimè tueantur. Vale.

QVOD SEDIMENTVM SANORVM AEGRORVMQVE CORPORVM NON SIT EIVSDEM SPECIEI.

Aduerſus Ferdinandum Caſſanum, & alios contrarium ſentientes.

IOANNE Andrea Nola Crotoniata Artium & Med. Doctore CLARISS. ALTIMARI diſcipulo, Auctore.

SI, quemadmodum Ciuitates tunc optimè gubernãtur, (vt inquit Plato in lib. de Philo.) cùm iniuſti dant pœnas: perinde etiam ſi digna erratorum pœna animaduerteretur, ijs, qui, quæ ignorant falſo & impudenter, impugnant, ac contra dicunt, optimè quoque reor, & ſcientiæ, & artes ſe hiberent. Nam ueras ſcientias ac artes perfectè, & breui cunctis aſſequi liceret: atque ita etiam uerè ſcientes, ac optimos artifices fieri. Nunc uerò cum lex falſo contradicentibus ſtatuta nulla ſit, nõ immeritò & in optimos uiros, arbitror, impuriſſimum quenque ac ineruditum iuuenem inuehi audere. & admodum paucos uerè ſcientes, artificesque reperiri, cum & paſſim ſcribere omnibus liceat, & unicuique ſententiam ferre apud vulgus. Adde, quòd neſcio quo fato datum etiam ſit quibuſdam, eaſdem docere artes, ac publicè profiteri, qui uel omnino inertes ſint, aut parum eas intelligant: Cùm uerò neſciant, ſcire autem ſe putant, mirum non eſt ſi & ipſi errent, & alios aberrare cogant. Quandoquidem oporteret (ut inquit idem Plato in Alcib.) eos qui aliquid docturi ſunt, priuſquam doceant, intelligere, ſi-

bique conſentire, & non diſſidere: hæc etenim bonos decet præceptores, ut ipſe ait. quod ſi ita fieret neque hic incognitus neſcio quis Ferdinandus Caſſanus, tam fuiſſet audax, atque impudens, ut ſe ueris opponeret, niſi ex illis eſſet, qui omnem funditus pudorem exuerunt, neque a ſuis præceptoribus malè eruditus ac impulſus, (eorum tamen opinione ſapientibus) tot auſus fuiſſet ſcribere nugas. Quas omnes paſſim iu uenibus artis medicæ candidatis, ſecluſo liuore, manifeſtare conabor, quò huius uiri ignorantia, ſimulque temeritas caſtigetur: diſcantque reliqui in poſterum quàm malum ſit optimis, ac eruditiſſ. uiris in dies utilia, Artisq; medicæ apprimè neceſſaria, & ueriſſima ſcribentibus; & ut ſummatim dicam, uniuerſam penè medicinam illuſtrantibus, falſo contradicere. Non autem, ut ea quæ a doctiſſimo ac Clariſſ. Altimaro præceptore meo de ſedimento in urinis ſcripta ſunt tuear, (ſunt etenim adeò ſcitè ac doctè conſcripta, & hæc, & reliqua omnia quæ hactenus in lucem edidit, ac ualidiſſ. auctoritatibus & rationibus comprobata, ut nedum iſtorum uirorum nugas non curent, ſed quorum uis etiam aliorum doctiſſimorum, ſi quæ eſſent contradictiones paruifaciant, ipſeq; primus omnium quos uiderim, propria inuentione ſuoq; marte ſedimenti ueritatem ueſtigauit ad Hippo. & Gal. ſententiam: quemadmodum & nonnulla alia non minus ad Artem medicam utilia quàm neceſſaria, ut in reliquis ſuis ſcriptis palàm eſt uidere.) Sed cum hæc ſole clariora ſint, pateantque cunctis Artis medicæ candidatis, qui re uera medici ſunt, nedum in uniuerſa Italia, uerumetiam in tota ferè Europa incolentibus, mea approbatione non indigent. At tempus eſt ut ad iſtorum ignorantiam caſtigandam, ac innumeros errores patefaciendos, accedamus: Nos uero eo, quo ſcripti ſunt, ordine, eos animaduertemus, etiamſi ad Sedimentorum naturam manifeſtandam non conferant; ut diſcant ſtudioſi quàm maximè, nedum Artis medicæ, ſed Philoſophiæ, & Dialecticæ ſe imperitos eſſe oſtendant; quanto ve liuore impulſi talia ſcribere conati fuerint. Cum uero futurum ſit ut hominem reprehendam indoctum, ſtolidum, opinione ſua ſapientem, nugis inter ineruditos iuuenes uerſatum in uniuerſa uita, quæſo, candidiſſ. lector, liceat mihi uerbis huius ignorantiam caſtigare aſperioribus, quibus ego uti alioqui non ſoleo.

Cùm primùm in prima pagella hic uir dãnaſſet tum Pluſquamcommentatoris, tum etiam Neotericorum opinionem de ſedimento (qui, ut ipſe ait, quamuis iactentur ſcopum attigiſſe, longè alijs falluntur) cumque

cumque neutri, ſuo optimo iudicio, ueritatem attigerint, & ſimul liuore percitus eoſdem recentiores ſcriptores calumniaſſet, quorum nequidem calciamenta ſoluere dignus eſſet, eiſque falſo tribueret cuncta quæ ibi temere narrat. cõfeſtim, ut ipſe ait, in ſecũda ueritatẽ protulit, quam de ſedimento ſentit, quæ quantis ſcateat erroribus, quantumue a ueritate aliena ſit, & Gal. ſententia demonſtrabimus, ubi alios prius eius errores in eadem ſecunda pag. conſcriptos, manifeſtauerimus: Ait etenim ſe nolle tempus conterere circa urinæ generationis modũ, locumque, cum clarè pateat ipſam in hepatis generari conuexo, ubi ſanguis perficitur. Sed heus bone uir, quis nam te docuit urinam in hepatis conuexo generari? An ignoras omnem qualitatis alimenti mutationem duo duntaxat inſequi excrementorum genera, quorum alterum tenue, alterum craſſum exiſtit, Gale. teſte 3. de meth. medendi? Cap. 1
Cum itaque in hepate alimenta in ſanguinem mutentur, nonne duo hæc proueniunt excrementorum genera, alterum craſſius, quod a liene expurgatur, alterum uerò tenue, quod a fellis ueſſica trahitur, ut liquet 4. de uſu par. primo de ſan. tuen. 2. de nat. fac. & alijs pleriſq; locis? De uſu partiu. cap. 4
Qua igitur ratione, aut qua auctoritate fretus aliud, & tertium excrementum hepatis concoctioni tribuis? forſitan & præceptores tui noua dogmata introducentes te hoc docuerunt. De ſanit. tu. cap. 12 *Ad hæc ſi humor hic tenuis qui pro nutrimenti uehiculo deſeruit, ac poſtea urinæ ac ſudoris materia eſt, & propterea ab Hipp, ὄχημα τροφῆς appellatur ex uentriculo in* De potent. na. cap. 9 *portæ ramos primo tranſumitur, ut commodè chilus ex cibis factus per portæ ramos pertranſeat, atque in anguſtas & multas hepatis uenas tranſumptus per eas facilè pertranſire ualeat, & denique ex chilo chimus, ſeu humor effectus adhuc ob eandem cauſam cum ſanguine permiſtus à maxima uena ex gibbis hepatis enata ſimul cum eodem ſanguine ſuſcipitur. Nam & in hac quoque uena (ut inquit Gal. citato lib. 4. de uſu part.) multo adhuc humore tenui & aquoſo plenus eſt ſanguis, non minus propterea dicendum erit in hepatis concauo quàm conuexo urinam generari, quinimò & in uentriculo quàm in iocinore, poſtquam humor hic tenuis & aquoſus ſimul cum chilo, ut dictum eſt, ex uentriculo in uenas tranſumitur. & deinceps eo in chimum tranſmutato, in hepate inſimul ad eius gibbas peruenit, atque excipitur à maxima illa uena illic enata caua dicta, quo loco poſtquàm ſuo perfuncti fuerint officio iam dicti humores tenues & aquoſi, ut idem Gal. aſſerit citato loco, non amplius eos in corpore permanere oportebat onus alienum uenis futuros.* loc. præc.

ros . Cuius ſanè utilitatis gratia renes extiterunt, hos tenues ſuccos attrahentes, ac à ſanguine ſecernentes : Non ſiquidem ab hepatis conuexo, ut tu ſomnias, ſed à uaſis ipſis ; primò tamen ab hac maxima uena, & deinceps à reliquis omnibus, tùm uenis, tùm arterijs . Quamobrem
p.12. *idem Gal. 1. de ſanit.tu. ſcriptum reliquit, ſeroſum hoc excrementum in uenis & arterijs aceruari, quale in lacte concreto ſerum ; quod deinceps renes ipſi à ſanguine ſecernentes, ut dictum eſt, ad ueſicam tranſmittunt . non igitur excrementum hoc ſeroſum, eoq; magis, neque ipſa urina in hepatis conuexo generatur, ut tu falsò imaginaris. Rurſus quã uis materia & forma ſint partes compoſiti; forma tamen eſt à qua res eſt id, quod eſt, non à ſubiecto, neque etiam compoſitum eſt ens in actu, ni*
t. 7. *ſi per formam, ut liquet 2. de anima. Sequitur itaque quòd ibi urina generetur, quo loco formam recipit, quod & tu non negare uideris cùm de loco generationis hipoſtaſis loqueris in 15. pag. tui libri: ſed in renibus formam recipit. in renibus ergo, & non in hepatis conuexo, aut uenis, urina generatur. nam quamuis tenue ac aquoſum excrementum per multas, ac etiam anguſtas hepatis uenas ſimul cum chimo ſeù ſanguine pertranſeat tanquam uehiculum quoddam permiſtum, nondum tamen ab eodem ſanguine ſecretum eſt, ſed cum eodem confuſum: neque etiam cùm à uena maxima ex gibbis hepatis enata idem ſanguis excipitur, ab eodem ſecretum eſt hoc excrementum. nam in hac quoque uena, ut dixi*
loco præfa. *mus Gal. auctoritate 4. de uſu par. multo etiam humore hoc tenui, ac aquoſo, ſanguis plenus eſt; & quamuis inde à renibus iſte expurgetur humor, adhuc uniuerſus ſanguis qui per totum corpus diſtribuitur, per ſingula uaſa hunc habet humorem quodammodo permiſtum, ut patet à Gal. ibidem. Quapropter non ab hepatis conuexo, ſed ab uniuerſis uaſis, hoc excrementum renes expurgant; neque tamen illud omnino ſincerum trahunt, ſed multo tenuiori ac humidiori ſanguine quo ipſi nu-*
ap.6. *triuntur, permiſtum; nec non & flauæ bilis etiam, eodem Gal. teſte 5. de uſu part. At ipſa flaua bilis ſimul cum urinis permeat ad ueſicam, cùm primùm ſanguis hic, ipſi carni renum inſtar fœcis cuiuſdam aſperſus fuerit, & uaporis modo in totam ipſam agglutinatus; ita ut renum fiat alimentum. Sic igitur & urinæ ui renum ſegregantur à ſanguine, & illinc per ureteras ad ueſicam emittuntur : quo etiam loco ſecreto prius ab eiſdem ſanguine tenuiori formam ſuſcipiunt, ac urinæ, nedum dicuntur, ſed ſunt : etenim in eiſdem renibus, & non prius expurgatum omnino à ſanguine hoc excrementum eſt tenue & ſeroſum, ac urinæ formam*

mam ſuſcipit, expurgantque ipſum à uenis & arterijs, ut eodem 5. de uſu par. ſcriptum eſt. Quoniam in ipſis ueluti excrementum aceruatur, ut liquet 1. de ſanit. tu. Sed puto te deceptum auctoritate, lib. de digno. ac cur. ren. affect. quam citas, prauè tamen à te intellecta: ait enim, qui cunque is fuerit auctor. { Poſtquam uerò ſeroſum id excrementum renes attraxerunt, utilem qui in eo eſt ſanguinem ipſi retinent, & ex eo nutriuntur; excrementum uerò ipſum ſeroſum à facultate ſegregatrice, ceù inutile expellitur. ſed quandiu in uenis & arterijs hoc cum ſanguine currit excremētum ſeroſum cùm ſegregatum eſt, lotiū nominatur. } in quibus uerbis parum tu animaduertens auctoris ſententiam, opinaris ſolo nomine diſsidere urinam à ſeroſo illo excremento, quod in uenis & arterijs ſimul cum ſanguine continetur. Verùm in his uerbis non nominis duntaxat, diuerſitatem auctor inſinuat, ſed ipſius rei; etenim intra uaſa contentum hoc excrementum, aliam formam, ac uſum habet, ſanguiniq́ue permiſtum eſt, quo ad renes peruenerit, à quibus deinceps alteratum, immutatum, ac ui eorum à ſanguine ſegregatum, omninoque expurgatum, alteram ab eis formam ſuſcipit, ſatis diuerſam ab ea quam prius habebat; & propterea non nomine duntaxat differunt, ut tu falsò opinaris, ſed re ipſa. forma nanque eſt rei cauſa quantum ad eſſe, materia uerò quo ad fieri, ut inquit Themiſt. 2. de anima in principio. Neque etiam in hepatis conuexo generatur urina, quemadmodum tu tenere aſſeueraſti, ſed in renibus ipſis, ut dictum eſt; quo loco propriam formam ſuſcipit, idque confirmauit idem Gal. 1. de locis aff. vbi uolens urinæ ſuppreſsionis cauſam ueſtigare, inquit { vnde niſi nouerimus primam urinæ ſecretionem in renibus fieri, deinde per ureteras ad ueſicam peruenire & cætera. } & pauloante dixerat { neque enim in hepate pulmone, liene, uentriculo, corde, aut alia quauis particula ipſam ſcilicet cauſam quærimus, quòd nulla ipſarum ſit urinæ inſtrumentum. }

cap. præf. / cap. præf. / cap. 1.

Sed magis cæcutire uideris cùm ad hæc addis { ubi ſanguis perficitur } quod iterum confirmare uidèris in 4. pag. ubi notans locum generationis ſedimenti, ais { Quandoquidem pars illa quæ uerſionem fugit in ſanguinem in hepatis gibbo }. quibus in uerbis fateris ſanguinem in hepatis gibbo ſeù conuexo generari; cùm aliquid perfici nil aliud ſit, quā formam ſuſcipere: hæc etenim eſt quæ perfectionem operatur: cùm uerò aliquid formam ſuſcipit, ac perficitur, generatur utique. nam forma eſt principium generationis per ſe, ut liquet 1. phiſ. & in plerìſque alijs locis. Præterea quicquid alimenti in ſanguinis generatione natu- tex. 64. &

ra

ra refugit confectionem, ſubſidet in urina, inquit Gal. 1. progn. ultimo. Ergo cùm fateris partem illam quæ uerſionẽ fugit in ſanguinem, in hepatis gibbo, eſſe ſedimentum, id uerò fiat in ſanguinis generatione, confi teris eo loco ſanguinem generari; quod quidem quantum ſit à ueritate, & Gal. ſententia alienum, nemo eſt qui ignorat. nam cùm primùm diſtributus fuerit à uentriculo ad hepar chilus, à uiſceris caliditate, uelu ti uinum muſteum feruet, concoquitur, atque alteratur, in ſanguinis boni generationem: in qua etiam ebullitione ex ipſis excrementis, quod fæculentum & craſſum eſt ſubſidet, ac per uenoſum uas ad portas extenſum, lien ad ſe trahit. Quod uerò tenue exiſtit, ac leue fluitat per quoſdam etiam meatus, ueſica bilis excipit, idque omne in ſimis hepatis par tibus, & non gibbis. nam poſtquàm depoſuit qui apparatur in hepate chimus, hoc eſt humor ad nutrimentum animalis, prædicta duo excrementa, & ab eius innata caliditate concoctionem exactam adeptus eſt, ruber iam & purus ſurſum ad gibbam hepatis aſcendit, ut inquit Gal. citato lib. 4. de uſu par. excipit autem ipſum illic una uena maxima ex gibbis hepatis enata ut dictum eſt, quamobrem & lien quendam ueluti ſtomachum ex imis ipſius partibus productum uenoſum uas ad portas extendit: nec non & poſt uenas ex uentriculo alimentum ſurſum ad he par ferentes, priores excepturis id uenis pori attrahentes flauam bilem
cap. 8. *fuere locati, eodem Gal. teſte citato loco inuiſibiles quidem ac prorſus anguſti, ut ſupra eiuſdem operis lib. ſcriptum reliquit. quo, ut ipſe inquit bellè purgatum iam ſanguinem horum uaſorum opportuna poſitione, ſuſcipiat utique uena caua? quid clarius quòd ſanguis in hepatis ſima, & non gibba generetur, exactè conficiatur, ac expurgetur, priusquàm ad uenæ cauæ ramos perueniat, atq; ad eius conuexum aſcendat? Idem*
cap. citat. *quoque confirmauit Gal. 2. de nat. fac. cùm dixit in ſanguine generando quicquid abundè craſſum, ac terreum ex ciborum natura in nutrimẽto fertur, nec commodè à naturali calore alteratur, id lien ad ſe trahit, quod uerò craſſum (ut ſic dicam) uſtumque nutrimenti eſt, fuerit ſanè hoc calidiſſimum in eo, ac dulciſſimum, qualia ſunt, tùm mel, tum adeps, id cùm flaua bilis factum eſt, per fellis uocata uaſa expurgatur. Cùm igitur ſanguis generatur, hæc duo expurgantur excrementa; atqui in ſima hepatis parte illa eadem expurgantur, ibi ergo ſanguis perficitur, ac generatur, & non in eius conuexo, ut tu malè uaticinaris; at ſi non generationem, expurgationem, ac ſanguinis confectionem per eius perfectionem intelligere uelis, ſed eius continuam alterationem, quam ſem-*

per

per ſuſcipit, cùm eandem ſanguis nedum in hepatis conuexo, ſed etiam in cæteris poſtea uenis perpetiatur, ob eam quam participare uidentur hepatis facultatem, non minus tribuenda hæc erit perfectio uenæ cauæ, ac progerminationibus eius omnibus, quàm hepatis conuexo, poſtquàm in confeſſo eſt quòd ſemper dum in uaſis continetur ſanguis, ab eis aliquam ſuſcipit alterationem, ob eam quam ab hepate facultatem ſuſcipiunt: quinimò perfectior, purior, ac rubicundior erit ſanguis, qui in reliquis uenis continetur, quàm in hepatis conuexo, poſtquàm à renibus tenue illud, ac aquoſum excrementum non propriè ab hepatis conuexo, ſed potius ex uaſis ipſis omnibus dum ipſum hepar præteregreſſum eſt, potiſſimum ac functum ſuo fuerit officio, expurgatur, ut dictum eſt. quo modocunque itaque fatearis, toto ut inquiunt cælo, aberras, ac delirare uideris, cùm ais quòd in hepatis conuexo urina generatur: Quo loco ſanguis perficitur, & quòd ſedimentum ſit pars illa alimenti, quæ uerſionē fugit in ſanguinem in hepatis gibba.

In eadem quoque tertia pag. proponis te primo uelle declarare eſſentiam, quiditatemque hipoſtaſis: nam definitiones completæ & profectæ ac eſſentiales, innatæ ſunt reddere cauſam omnium accidentium exiſtentium in re, auctoritate Ariſt. & Auerr. & ſubdis, nec non omne cauſarum genus continent, ut Gal. 4. de diff. pul. 2. pulſuum definitionem tradens, & 7. meth. Ariſt.} Quibus in uerbis clara luce oſtendis non minus te ineruditum logices & philoſophiæ, quam medicinæ. nam ſi completæ, perfectæ & eſſentiales definitiones illæ ſunt, quæ rei eſſentiam explicant, ut liquet ſecundo poſt. neque in rei ueritate inueniuntur niſi in ſubſtantia, ut liquet 4. & 7. meth. ſequitur quòd ea debeant continere, per quæ conſtituitur res definita, & propterea eodē 7. meth. com. 4. & primo phiſ. com. 28. & 1. de anima com. 5. habetur, quod definitionum partes ſunt illæ per quas res conſtituitur. Atqui per materiam & formam res ſubſtantiales conſtituuntur, cum ſubſtantia nonniſi trifariam dicatur, Ariſt. teſte 2. de anima textu ſecundo, materia uidelicet, forma compoſitum: quapropter non omne cauſarum genus continere debent perfectæ & eſſentiales definitiones, ut tu perperam imaginaris, ſed materiam & formam dumtaxat, ex quibus rerum eſſentia ſeu ſubſtantia conſtituitur, & ob id rectè ab Auer. 1. de anima decretum eſt, quòd definitio ſi omittit formam, & recipit materiam, diminuta eſt: Si uerò ſumat formam, & dimittat materiam uidetur dimittere aliquid non neceſſarium, ſed non eſt ita; quoniam forma debet accipi in definitionibus ſecundum diſpoſitiones in quibus:

x.6 *exiſtit, & 8.meth. Ariſt. Architæ definitiones approbandas eſſe teſtatur, quæ dantur per materiam & per formam, & Auer. in com. ait* 8 & 95. *quòd tales ſunt definitiones perfectæ; et 2.phiſ. dicebat, Definitiones uniuerſales componuntur ex forma uniuerſali quæ eſt genus, & propria, quæ eſt differentia: Tu uero uir impudentiſſime, cur noua dogmata introducens, ais, perfectas & eſſentiales definitiones continere debere omne cauſarum genus, & quod peius, illud iam impudenter Ariſt. tribuis 7. meth. ſcriptum eſſe, cum nedum eodem, neq; etiam aliquo alio Ariſt. lib. illud ſcriptum unquam reperiatur; modo de ueris definitionibus loquatur, quæ nonniſi in ſubſtantia reperiuntur. Cæterum quo modo illud unquam ab eodem ſcriptum ſit, ſi in eius doctrina patet cauſam agentem & finalem eſſe extra rei eſſentiam, ſeu ſubſtantiam, quæ a materia & forma ſolum conſtituitur, & propterea eas dumtaxat in* x.1 *1.phiſ. Ex Auer. ſententia elementa nuncupauit, quoniam ſunt partes* m.1. *rei; & 5. meth. dicebat, Principiorum quædam ſunt in re, ut forma & materia, & quædam extra rem, ut agens, & finis: dixerat nanque Ariſt. in tex. omnes cauſas eſſe principio, ac quædam rei inhærentia, quædam uerò extra: ſeu quædam intrinſecus, quædam extrinſecus ſunt. Tu uero aſſerens in eſſentialibus definitionibus, omne cauſarum genus debere contineri, admittis has cauſas ingredi rerum eſſentiam atque eam, ueluti materia & forma, conſtituere; quod erroneum eſt, nedum in Dialectica, uerumetiam in naturali philoſophia: nam ſi eſſentiales definitiones, rei, ſeu definiti, eſſentiam docent, debent intrinſecas, & non extrinſecas rerum cauſas continere, ut dictum eſt. Sed dices ſaltem ne* p. 2. *gare non poteris, id ueritatem habere ex Gal. ſententia 4. de diff. pul. quo loco pulſus definitionem tradit. Sed parum animaduertiſti, quòd eadem Gal. uerba obintelligens, cogerunt te peſſum iri, ac tuam manifeſtare ignorantiam: Propoſuerat enim Gal. eo lib. ac eodem cap. 2. uelle receſſere pulſus uarias definitiones, ut tu met fateris. quapropter, cum paulò ante a te citatum locum narraſſet, quoſdam pro integra pulſuum definitione, addere uſus generationis eorum, quoſdam uerò cauſam efficientem, concludit. Quare diffinitionem, quam uocant eſſentialem, quæ eſt oratio eſſentiam rei docens, planum eſt, genus explicaturam eſſe, & differentias, & uſum generationis: cauſam item efficientem, ad hæc materialem, aut inſtrumentalem, aut quouis modo uelis appellare. non igitur de omnibus definitionibus, ſed pulſus dumtaxat hoc in loco intendit Gal. ut liquet nedum per ea quæ præcedunt, ut diximus*

uerum,

uerumetiam, & per ea quæ immediatè conſequuntur uerba, cum ait, Vt genus, aut motum, aut actionem, aut paſsionem, arteriarum: Differentias, quod per diſtentionem & contractionem quòdque ſpontè: Vſum, quòd innati caloris nomine, uel ſpiritus uitalis generandi, aut her clè etiam animalis. Cauſam efficientem, quòd uis ſit quædam cor diſtendens & arterias, aut uitalis, aut animalis, aut utraq; : Materialem, & inſtrumentalem conformationem arteriarum ad actionem quam me moraui declarare appoſitam, & demum concludens ait, § Ita ſuam quæquè ſecta rationalis ſortietur definitionem§. Approbat itaq; Gal. hoc in loco pulſuum definitionem debere omne cauſarum genus continere, ut integra & perfecta ſit; quemadmodum ipſe met poſt pauca ſuam propriam ſtatuit pulſuum definitionem, quæ cuncta iam dicta cauſarū genera complectitur. Verum id ueritatem habere in ſingulis eſſentialibus definitionibus, haudquaquàm innuit, ut tu falſo ei imponis: eſſet etenim ualdè a ueritate alienum erroneumque, tum apud dialecticos, tum apud philoſophos, ut demonſtrauimus. Sed mox quæres, diuerſitatis cauſam, qui fiet inquiens ut in pulſus eſſentiali definitione, omnia quatuor cauſarum genera contineri debeant, in cæteris autem nequaquam. Huic reſponſum ſit, quod cum pulſus ſit de genere eorum quæ in generatione poſita ſunt, (quoniam ceù cæteri motus) dum fit, eſt, propterea optima eius definitio habetur, cauſam complectens efficientem, quemadmodum in cæteris huiuſmodi rebus ſeruādum eſt, quæ in generatione poſita ſunt, eodem Gal. teſte citato lib. 4. de diff. pul. Cap. 9 *Simili etiam ratione & finem continere debet: etenim & ipſe quoque eſt inter ea quæ conſtituunt harum rerum uniuerſam eſſentiam, quæ quidem in fieri, ut ſic dicam, ſeu in generatione, eſſentiam habent, & tandiu ſunt, quandiu fiunt; quarum etiam neque principaliter eſt definitio; nam principaliter ſubſtantiarum eſt, & ſecundariò aliorum, ut patet 7. meth. cum itaque non ſolum materia & forma, ſed efficiens &* tex.com.1 *finis (quæ facultas uitalis, & uſus ſunt) pulſus eſſentiam conſtituant, ob id eius definitio, integra, perfecta, & eſſentialis, omne cauſarum genus continere debet, alias non eſſet eſſentialis, neque integram eius eſſentiā doceret: quod etiam in cæteris rebus quæ in generatione poſitæ ſunt, ſeruari debet. Attamen id in cæteris rebus permanentibus, ac per ſe ſubſiſtentibus, haudquaquam ſeruandum eſt, cum earum eſſentia ex materia dumtaxat & forma conſtituatur, & propterea ſi reliquæ cauſæ in earum definitionibus adderentur, utique ſupereſſent tanquam non*

 neceſſariæ,

neceſſariæ, poſtquam rei, ſeu definiti, eſſentiam docere debent eſſen-
p.1 *tiales definitiones, ut diximus ex Ariſt. & Auer. ſententia, & idem Gal. confirmauit citato lib.4.de diff.pul.quæ omnia tu ignorans, in tot lapſus es maximos errores, ac Ariſtoteli & Gale.tribuis, quæ uel unquam ſomniauerunt, &, ut ſummatim dicam, ea faſſus es, quæ omnino dialecticæ, & Phiſicæ doctrinæ pugnant.*

Hæc inſuper non minus præcipitem te dederunt, nam ſub hac praua opinione, quam de definitionibus habebas, quandam hipoſtaſis tanta uerborum congerie falſam definitionem tradidiſti, quo omnia quatuor cauſarum genera contineret, inquiens eam totam rei eſſentiam declarare: cuius etiam partes deinceps paſſim exponis. Sed cum ex genere eorum quæ in generatione eſſentiam habent, non utique ſit hipoſtaſis, uerum de numero permanentium ac per ſe ſubſiſtentium, ſuperfluè ac fruſtra tot cauſarum genera, totque uerba in eius definitione aggregaſti, neque etiam eſſentialis & perfecta dici poterit, ſed nugatoria & ſuperflua, cum ea contineat, quæ ad eius eſſentiam non pertinent, ut potè effi-
om.6 *cientem, & finalem cauſam, quæ eius eſſentiam non conſtituunt.*

Etenim definitiones perfectæ ſunt illæ, ut inquit Auer.8.meth.quæ continent omnes partes ex quibus conſtat compoſitum: & hæc eſt forma, & quod eſt in ea re quaſi materia: & eodem com.dicebat in definitionibus rerum exiſtentium per ſe, genus eſt quaſi materia, & differentia quaſi forma. Itaque hac ratione, praua eſt hæc tua hipoſtaſis definitio, cum plura contineat, quam eius eſſentia deſiderabat.

Hanc etiam definitionem fateris a Gal. traditam eſſe primo prog. ultimo, & iterum id confirmas pag.5. Sed ut aliam omittam, Dic quæſo, cur ſic impudenter fateris Gal.eo loco uoluiſſe ſedimentum eſſe excrementum quoddam craſſum ex alimento quod in hepate ſanguificationē fugit, propter cauſam aliquam præternaturam, ſi ibidem non modo hæc a Gal.ſcripta non ſint, ſed contrarium omnino aſſerat? inquit .n. quòd quicquid alimēti in ſanguinis generatione naturæ refugit confectionem, ſubſidet in urina, neque ut ſanguis ab ea commutatum, neque ut pus præter naturam cauſæ particeps. Si igitur Sedimentum non eſt præter naturam cauſæ particeps, (id ſcilicet de quo ibidem uerba facit) quemadmodum cuius eodem commento prius meminerat oſtēdens eius cauſas, ac generationis modum, cur tu adeò temerè aſſeris idem Sedimentum propter cauſam aliquam præter naturā ſanguificationem ſubterfugere, qua ratione eſſet præter naturam cauſæ particeps, ut pus,

& quod

& quod peius id Gal. etiam tribuis quod contrarium ſentit eodem loco ut dictum eſt: Etenim inter pus & naturales humores iniectum eſt, ut ipſe inquit. quoniam licet in ſanguinem, ſeu naturales humores commutari non ualeat, illud tamen non eſt, propterea quod particeps ſit alicuius cauſæ præter naturam, ut tu ſomniando fateris, & in pure ueritatem habet, ſed ex ipſa alimentorum natura, in quibus perpetuò ferè tale aliquid reperitur, quod in ſanguine generando, naturæ confectionem ſubterfugit, ob eorum uidelicet qualitatem, & hoc eſt illud quod innuere uoluit Gal. cum dixit § Quicquid alimenti in ſanguinis generatione naturæ refugit confectionē, ſubſidet in urina, neq; etiam in hoc generando excremento, hepatis concurrit neceſſariò imbecillitas, ſiue ſecundum naturam, ſiue præter naturam ea ſit (nam & in ſanis etiam corporibus eadem reperitur, quando uidelicet, leuiter impedita actio fuerit ob quandam non morboſam, ſed ſanitatis intemperiem, ut liquet 7. meth. & 2. de temp.) Etenim quantumuis corpora optimè ſana fuerint, eorumque facultas robuſta, ſemper tamen aliquid in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugit, & in urina apparet, etiam ſi proba uictus ratione utantur, ut paulò poſt cum Gale. demonſtrabimus, licet tu contrarium ſentire uidearis. 7. cap. 11. cap. 4

Amplius ſi ſemper, ut ais, in omni Sedimenti generatione cauſa aliqua præter naturam concurreret, ita ut propterea illud craſſum ex alimento, ut inquis, ſanguificationem ſubterfugeret hæc præter naturam cauſa, aut in ipſis corporibus reperiretur, aut in ipſis alimentis, ſi in corporibus, ſequeretur quod in ægris dumtaxat, & non in ſanis generaretur, aut uelis nolis, cogereris in perpetuæ paſſibilitatis dogma incidere: poſtquam perpetuò cauſam aliquam præter naturam in ſe continēt corpora: At ſi uelis quod cauſa hæc præter naturam in ſanis corporibus non adſit, ſed in ea alimenti parte contineri, quæ uerſionem refugit in ſanguinem & fit materia hypoſtaſis, longè magis, mea quidem ſententia, delirare uideris: nam hæc potius morbi cauſa eſſet, & non impedimentum quo ſanguinis generationem ſubterfugeret. eſſet præterea non alimenti, ſed medicamenti potius pars, eiusque ueneno ſi. etenim in alimentis ipſis qua alimenta ſunt, nulla adeſt cauſa præter naturam, licet ex eis ſuaptè natura ſemper reſecetur aliquid, quod in ſanguinis generatione, naturæ ſubterfugit confectionem, ob eius quam habet cum ſanguine minorem familiaritatem; quod quidem eſt ſedimenti materia, non tamen ob cauſam præter naturam ut tu falſo opinaris, ſed

*ex ipſa alimentorum natura,quæ talem ſemper ferè in ſe continent par
tem, quæ adeò confici & uinci atque aſſimilari non ualet,ut ex ea ſan-
guis fiat,ſed alteratur quodammodo : quinimo ſi cauſa præter naturam
in ea alimenti parte contineretur ex qua fit hypoſtaſis in ſanis corpori
bus,alimentum illud non eſſet alimentum , neque eadem pars diceretur
alimenti pars,ſed potius medicamentum , ut dictum eſt,& morbi cau-
ſa,ex qua ſemper morbi generarentur . Vide amice in quot incideris
labyrinthos , oculis nedum corporis,ſed mentis , adeo cæcutens,ut quæ
a Gal.ſcripta ſunt, ne quidem inſpicere ualeas , nedum intelligere : &
quæ ab eodem ſcripta non ſint , ac ſi ſcripta fuiſſent, eidem temerè , &
falſo tribuens .*

*Rurſus ſi ſedimenti generatio de qua loquitur Gal. primo prog.ſimi
lis eſt ſeminis generationi,ambæque ob eandem cauſam puri proportio
ne reſpondent , ut ipſe inquit ; ſequitur quod quemadmodum ſemen ni-
hil habet præter naturam permiſtum , & pus ſemper aliquid, licet non
aſſiduè par, quod ob eandem etiam cauſam neque ipſum ſedimentum
erit alicuius præter naturam cauſæ particeps , ſed a natura dumtaxat:
quemadmodum & ſemen in ſolidorum corporum colorem ducatur ; id
uero manifeſtauit citato loco , cum dixit eadem cauſa eſt ob quam ſub-
ſidet in urina candidum ſedimentum : etenim id quoque obtinet genera
tionem quæ puri proportione reſpondeat,quemadmodum de ſemine con
cluſerat . Non igitur præter naturam cauſæ particeps erit ſedimẽtum
in corporibus ſanis,ut tu perperã arbitraris , poſtquã eodẽ modo quo
ſemen,ſolidis aſſimilatur corporibus,& non quò pus. At ſi in ſanis cor
poribus ſedimentum non eſt præter naturam cauſæ particeps , quem
admodum decretum reliquit idem Gal.citato lib. primo prog. quomo*
m. ult. *do quam tradidiſti uniuerſalem definitionem de ſedimento , ueritatem
habeat in ſedimento ſanorum corporum , ac eſſentialis completa , &
perfecta dici debeat , ſi ueræ definitiones conuenire debent omnibus
ſpeciebus rei definitæ , ac neceſſario conuerti cum definitis , ut liquet 4*
m.24.cō.27. *phiſ.6. topic. & 8.phiſ. hæc autem quam tu eſſentialem,ac perfectam
uocas hypoſtaſis definitionem , neque omnibus quæ ſunt ſub eadem ſpe
cie competit : etenim aliquid eorum quæ ſunt in definitione poſita , non
omnibus ineſt , ut demonſtrauimus, neque etiam cum definito conuer
titur , cum plura contineat , quàm definitum requirat,& tanquam ſu-
perflua quædam in definitione a te poſita ſint , quæ quidem non ueram,
nec bonam & propriam faciunt definitionẽ, ut liquet 6.top.ca.1.& 3.*

Poſita

Poſita demum hypoſtaſis definitione, inquis eam totam rei eſſentiã declarare, ac omne quod habet cauſarum genus, & propterea completam, eſſentialem & perfectam eſſe, ac deinceps ad exponendas eius partes progrediens in dicta definitione à te poſitas in pag. 4. ais quaſdam earum declarare modum generationis, quaſdam locum generationis, quaſdam cauſam efficientem, & quaſdam finem; ac ſi omnia iſta conſtituant hypoſtaſis eſſentiam, quod quidem quilibet ſanæ mentis diiudicet, quamuis de efficiẽti, et finali cauſa fuſius dixerimus. de modo autem, & loco generationis fruſtra erit uerba facere, cum cuilibet, etiam lippis, & tonſoribus pateat, non eſſe cauſas rei eſſentiam conſtituentes, & propterea poni haudquaquam debeant in eſſentialibus rerum definitionibus, eo magis ubi fuerint quæ definiuntur entia perſe ſubſiſtentia, poſtquam eſſentiales definitiones, ut dictum eſt, definiti eſſentiã docere, ſeu explicare debent. Fruſtra itaque, ac prauè definitionibus utens, modum, & locum generationis hypoſtaſis in eius definitione poſuiſti. Reuertere itaque inerudite uir, nec te pigeat, modò ualeas, iterum ad Dialecticam & Philoſophiam diſcendam, poſtquam nedum earum, uerum etiam omnium bonarum artium omnino te expertem eſſe oſtendis; Dixi ſi ualeas, nam cum in prauæ doctrinæ ſecta fueris altus, geminum tempus requiris: alterum in quo prauas opiniones dediſcas: alterum in quo melioribus te exerceas.

Expoſitis iam ſingulis a te partibus in hac pulcherrima hypoſtaſis definitione poſitis, hac ratione conaris probare eam eſſe completam, eſſentialem, & perfectam, eadem pag. 4. Cui competit definitio, eidem cõpetit definitum, utriſque ſedimentis eadem competit definitio; ergo utriſque competit definitum, minorem probas ex Gal. 1. prog. ult. quo loco tibi perſuades eundem Gal. hanc tradere definitionem, quæ, & ægrorum, & ſanorum competit ſedimentis, quod manifeſtum facit exemplũ illud de pure: nam ubicunque, ut tu inquis de hypoſtaſi uerba facit, puris ſimilitudinem inducit, & primo de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. hæc in principio. 5. pag. ſcripſiſti. Sed attendant quæſo ſtudioſi, artiſq; medicæ candidati quot aceruarit hic uir errores in his ſuis uerbis, & quàm magnopere deceptus fuerit, ex uerborum Gal. obintelligentia. nam primò aduerſus eum hanc ſuam rationem reflectam, & ſumpta hac maiori illa per te ſedimenti diffinitio eſt completa, eſſentialis, & perfecta, quæ utriſque ſedimentis competit. Subdam pro minori, ſed ea quam tradidiſti definitio non competit utriſque ſedimentis, quia non ſe-

dimentis

dimentis ſanorum, ob ea uerba quæ poſuiſti in definitione (uidelicet propter cauſam præter naturam) ut probauimus. eadem igitur definitio neque completa neque eſſentialis erit & perfecta, ſed falſa. Ad hæc, neque etiam ægrorum competit ſedimentis hæc tua definitio, propterea quòd in his hypoſtaſis, non eſt ea craſſa, ut inquis alimenti pars, quæ in hepate ſanguificationem fugit: ſed pars quædam eſt craſſa putreſcentis intra uaſa ſucci, quicunque is fuerit qui putreſcit humor in continuis præſertim febribus, ut demonſtrabimus cum Gal.1.de diff. feb. & 3.de præſag. ex pul. & tu met a ueritate coactus fateris in pag. 18. amplius conuerſa tuæ rationis maiori in terminis. Arguam ſic cui competit definitum competit definitio. ſed neutro ſedimento competit definitio a te tradita, ergo neutro competit definitum. Cùm itaq; neque cum ſanorum ſedimento, neque cum eo quod ægrorum eſt conuertatur iſthæc tua definitio, neutroq́ue eorum competat, propter eas quas notauimus partes à te in eadem conſcriptas, ſequitur eam eſſe falſam, erroneam, ac à ueritate & Gal. ſententia ualdè alienam. Allucinaris inſuper cùm ais hanc definitionem traditam eſſe à Gal.1.prog. ultimo, quæ & ſanorum, & ægrorum ſedimento competit, quam neque ego hucuſque perlegi, neque quempiam alium legiſſe percepi, nec unquam quiſpiam ſcriptum reperiet; fulgentiſſimis etiam ante oculos ſpecillis impoſitis: quinimò aſſerens, id quod in urina ſubſidet, neque ut ſanguis eſſe a natura in eius generatione commutatum, neque ut pus in eius generatione præter naturã cauſæ particeps, excludit omnino cauſam præter naturam ab eius definitione, quam tu ſemper includis, & per conſequens ægrorum ſedimentum, quod quidem ſemper eius particeps eſt, ut clarius in ſequentibus patebit, potiſſimùm in continuis febribus ex putredine ortis. At non me præterit quam ob cauſam hac in re adeò, ut ita dicam, magnos acceperis piſces, ut reliqui quoq;, qui perinde ut tu, ſentiunt; propterea quòd hoc in loco Gal. ſedimenti generationem aſſimilat generationi puris: quemadmodum primo de diff. feb. & 3. de præſag. expul. quibus in locis de ægrorum ſedimentis uerba facit, ut dicemus; ignorans quòd primo prog. narratis cauſis ob quas tùm ſemen, tùm pus candidum eſſet, de pure etenim erat illud exponendum, cùm de hoc uerba feciſſet Hipp. in textu dum dicebat § pus optimum eſſe ſi candidum &c. § poſitaq́ue in ſuper differentia eorundem in eorum generatione, narratiſq; cauſis, quadam ſermonis ductus affinitate, de eo quod in urina ſubſidet meminit, dicens. § eadem quoque cauſa eſt ob quam ſubſidet in urina candidum ſedimentum.

mentum. etenim id quoque (uelut ſemen ſupple tu) obtinet generationem quæ puri proportione reſpondet, uidelicet quo ad colorem attinet: Nam dixit eadem quoque cauſa eſt ob quam ſubſidet in urina candidū ſedimentum, & non dixit ſedimentū ſolùm quod ſole clarius 11. prog. ſuper tex. 26. manifeſtauit cùm dixit, §Quamobrem urinæ ſedimentum candidum eſſe conueniat, dum ageretur de pure in calce primi vol. explicatum iam eſt§. Quibus poſitis, ſtatim inter ſedimentum & pus differentiam affert inquiens, §inter id, & naturales humores iniectum§ & intelligit per naturales humores ſanguinem ipſum, etenim in Gal. doctrina, ut liquet lib. de multi. idem intelligendum eſt per humores et ſanguinem, eo magis per naturales humores poſtea uerò cur ſit inter pus et naturales humores iniectum candidum ſedimentum, reddit cauſam, ſimul docens modum generationis eius, ait§ Quicquid enim alimenti in ſanguinis generatione naturæ refugit confectionem, ſubſidet in urina, neq; ut ſanguis ab ea commutatum, neque ut pus in generatione, præternaturam cauſæ particeps§. in quibus etiam uerbis modum generationis ſedimenti in ſanis corporibus patefecit. Nam poſita ſimilitudine inter ſedimentum & pus quo ad eius colorem pertinet; quemadmodum prius de ſemine, & eodem pure poſuerat, confeſtim diſſimilitudinis cauſam addidit aſſerens, quòd ipſum ſedimentum non eſt præter naturam cauſæ particeps in eius generatione quemadmodum pus: id quod etiam de ſemine declarauerat prius, ex quibus uerbis clara luce patet quoad candoris dumtaxat generationem ſedimentum, de quo hic uerba facit Gal. puri proportione reſpondere, & non quo ad reliqua, ut tu falsò imaginaris: Quinimò quo ad reliqua ſpectat, confeſtim interea diſcrimen recenſuit, & propterea de ſanorum corporum ſedimento dumtaxat aſſerendum eſt Gal. hoc in loco uerba facere, poſtquàm dixit ipſum non eſſe ueluti pus, præter naturam cauſæ particeps, quod etiam de ſemine prius concluſerat: Neque hypoſtaſim hìc intendit definire Gal. quæ definitio ſanorum ægrorumque corporum ſedimentis competat, ut tu uaticinaris, ſed ſimilem cauſam candoris exarare eius quod in urina ſubſidet, quam de ſemine dixerat, utraque aſſerens quo ad colorem dumtaxat puri proportione reſpondere & non quo ad reliqua: & cùm eandem fateatur eſſe cauſam ob quam ſubſidet in urina candidum ſedimentum, & eam propter quam ſemen, exquiſita ratione a natura ducitur in ſolidorum corporum colorem, nihil habens præter naturā permiſtum, & hac quoque ratione patet, de ſanorum, & non ægrorum ſedimento uerba facere:

At

At in 1. de diff. feb. & 3. de præſag. expul. non ſolùm colorem ſimilem inter pus & ſedimentum eſſe oſtendit, ſed etiam generationis modum ac cauſas ipſa generantes ſolo dumtaxat loco diſſidentia, ut liquidò appa-
cap 6. *ret ijs qui eius uerba perpenderint: dicebat enim 1. de diff. feb. quòd pu tredo humorum quæ in uaſis fit, ſimilis eſt ei, quæ eſt in inflammationibus, atque abſceſſibus, alijsque collectionibus; & poſt pauca inquit ſupe rante quidem ſicut in inflammationibus, & ſimilibus inflammatis tumoribus pus, in humoribus uerò qui in arterijs & uenis proportione pu*
Cap. 7. *ri reſpondens, eſt quod in urinis ſubſidet, & 3. de præſag. ex pul. Quod uerò eſt ueluti cineritium inquit Gal. non perinde quia craſſum eſt poteſt excernere, ſed per inſignes quoſdam meatus educit, hoc in partibus inflammatis pus eſt, in ipſis uaſis, urinæ ſedimentum. Itaque 1. de diff. feb. humorum putredinem quæ fit in uaſis, putredini quæ fit in inflammationibus, atque abſceßibus, comparat; & non colorem colori, in ægris, & non ſanis corporibus, cùm de humorum putredine uerba faciat, neque etiam ſedimenti ſeù hypoſtaſis putredinem, ſed humorum dixit, de omnibus intelligens indifferenter humoribus intra uaſa putreſcentibus, & non ſola hypoſtaſi, ut tu ſomnias. declarat inſuper eodem loco ſimilitudinem tàm in modo generationis, quàm etiam in eorum cauſis, quæ eſt inter pus & id quod puri proportione reſpondet, ac ſubſidet in urinis, aſſerens quòd horum utrumque fiat, aut ſuperante natura, aut ſu perata, aut partim ſuperante, & partim ſuperata, & tandem concludens ait, Quotcunque uerò in abſceßibus putredinis ſunt differentiæ, to tidem & in febribus quæ ex putredine accenduntur, ſunt eorum quæ in urinis apparẽt formæ, nullo alio inter eas poſito diſcrimine, quàm quòd illæ in abſceßibus, iſtæ in humoribus in uaſis putreſcentibus, ac febribus fiant; nec ſecus ac in 1. de diff. feb. puris exemplo uſus eſt Gal. lib. 3. de præſag. ex pul. citato loco; id quod manifeſtant quæ immediatè ſequuntur eius uerba, cùm ait, §at de ijs in cõmentarijs de differentijs feb. latius diximus§ & non dixit 1. prog. Liquidò igitur conſtat ex his, alio modo puris exemplo uſum fuiſſe Gal. lib. 1. progn. ac alio lib. 1. de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. & proinde toto, ut aiunt, cælo aberras, cùm ais illam tàm falſam tuam hypoſtaſis definitionem a Gal. traditam eſſe 1. prog. ult. quæ & ægrorum & ſanorum ſedimentis competit: ſed mul tò magis allucinaris cùm inquis, quòd illud manifeſtum facit exemplum de pure: nam ubicunque de hypoſtaſi uerba facit Gal. puris ſimilitudinem inducit, parum animaduertens quòd diuerſa ratione, ut probauimus,*

mus, in citatis locis, puris exemplo Gal. utatur, Neque etiam quæ ſedimentis tribuuntur lib. de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. ſanorum ſedimentis tribui poſſunt, cùm illa ex humorum putredine, hæc ex alimentis quæ naturæ confectionem in ſanguinis generatione ſubterfugiunt, oriantur.

Quòd eadem definitio utriſque ſedimentis competat, ægrorum ſcilicet, & ſanorum, ac quòd ea ſint eiuſdem ſpeciei, patere inquis eadẽ pag. 5. quia eadem eſt utriſque materia, idem efficiens, eadem forma, finis, locus, modus generationis idem: & quòd idem quoque denuntiant. Sed nos quantum in horum quolibet cæcutias, ac allucinatus fueris, particulatim demonſtrabimus ubi prius nonnullos alios tuos errores in eadem pag. conſcriptos notauerimus. Nam uolens probare quòd eadem ſit materia utriſque ſedimentis ais, quòd patefiet in declarando modum generationis, in cuius declaratione iterum ueluti cæcus in eandem foueam incidis, inquiens, Quòd in hepatis gibbo cibus in ſanguinem conuertatur, perinde ac in concauo, ac reliquis uenis omnibus ematoſis, hoc eſt ſanguificatio non perficeretur: deinde ſubdis, At ſi uirtus ualida eſt, nullumque chilo uitium, nihil in ſanguificatum remanet: ſi uerò facultas imbecilla, chili pars aliqua ſanguinis fugit conuerſionem. Et poſt pauca inquis, ex quo corpora quæ inculpata ſanitate uiuunt, nullum in urinis faciunt ſedimentum: quæ omnia Gal. pugnant: Nam lib. 3. artis med. in optima corporis conſtitutione, etiamſi optima uictus ratione utatur, cap. 15 *& in cibis perfectio fiat coctionis, adhuc modus excrementorum in quali et quanto conueniens generabitur, quæ uel per uentrem, uel per urinæ meatus, uel per totum corpus egeruntur, quantitate tamen, & qualitate proportionalia aderunt. Ex quibus uerbis patet corporibus etiam inculpata ſanitate uiuentibus (ut tuis utar uerbis) aliquod in urinis fieri ſedimentum, quod quidem nedum in hoc loco, ſed etiam pag. 9. negare auſus es: neque etiam facultas requiritur imbecilla, ut tu falsò opinaris, ad hoc ut aliquid in ſanguinis generatione in ſanguificatum remaneat, & deinceps in urinis appareat: ſed ex ipſa alimentorum natura ſemper ferè aliquid naturæ confectionem ſubterfugit, non ſolùm iuxta Gal. doctrinam, ſed omnium medicorum conſenſum, tàm ſi imbecilla, quàm ſi robuſta ſit hepatis, ac uenarum facultas: quinimò 1. de criſ.* cap. 12. *inquit Gal. in optimè ſanis corporibus urinam leuem, æqualem, & albã ſubſidentiam habere, ac etiam multam ubi ea mingatur, cùm adhuc ſanguis coquitur, quanuis perfecta coctione, minus ſubſideat, & propter-*

ea non minus a ueritate alienum eſt,id quod eadem pag. fateris, uidelicet quo maiori lapſu corpora uiuunt, & facultas concoctoria inualida, maiorem habent urinæ hypoſtaſim. Nam ſi ſupremum etiam ſanitatis gradum obtineant,multam poteſt facere urina ſubſidentiam, ſi eo tempore mingatur,quo adhuc ſanguis coquitur, ut dictum eſt: ſeù in ipſo primo tempore coctionis ſanguinis,ex eiuſdem Gal. ſententia citato lib. 1. de criſibus.

Ad hæc quædam corpora, quæ maiori lapſu uiuunt, (ut etiam tuis uerbis utar) ut ſunt corpora bilioſæ naturæ, potiſſimum ubi multum laborent, & parciori cibo utantur, paucā & non multam habebunt it. & 2. *in urinis hypoſtaſim, & quandoque nullam, ſed uel ſuſpenſum, uel ne-* 26. *bulam,ut liquet eodem 1.de criſ.& 2. prog. Id quod neque & tu negaſti parum animaduertens quod in pauciſſimis uerbis tibi ipſi contradicis.*

Rurſus nec etiam copia ſedimenti ſemper comitatur concoctoriam facultatem inualidam,imo in his qui ualidiſſimam habent uim concoquendi, ut in pueris fere omnibus, ſatis multam habent urinæ ſubſidentiam,ob aliam cauſam quam ob concoctricem facultatem inualidam, ogn.4. 33. *ut Gal.ſcriptum reliquit eodem primo de Criſ. Quòd uero hanc facul-* 3. 34. 3. de *tatem pueri ualidiſſimam habeant, ſexcenties ſcripſit Gal. & potiſſi-* .cau.ca.3. *mum ſecundo & tertio prog. & 3.de cauſis ſymp. non ergo requiritur hepatis uirtus fortis, aut imbecilla, ut ſedimenti materia in ſanguinis generatione paretur, ſed ſanis,alimenti natura eſt, ut iam probauimus, & Gal.quoque decretum reliquit 1.prog.ultimo cùm dixit § quicquid alimenti in ſanguinis generatione naturæ ſubterfugit coctionem, ſubſidet in urina§ & non addidit,& uirtus fuerit imbecilla, neq; etiam in maioris eius copiæ generatione facultas inualida ſemper requiritur, ut tu falsò imaginaris, ſed interdum tùm hæc, tùm reliqua quædam concurrunt ut maior uel minor copia eius fiat in ſanis etiam corporibus. Tot igitur manifeſtos errores congregaſti in his paucis uerbis,in quibus modum generationis hypoſtaſis in hac pag. 5.declarare propoſuiſti.*

Inſuper credens perſuadere eandem eſſe ſedimenti materiam in ſanis & ægris, imaginaris in 6.pag.iterum,licet id reprobauerimus, quòd cū uirtus imbecillis,non poteſt in hepatis gibbo,ut ais, perfectè concoquere,ac ſanguificare,multum alimenti ſanguificationem fugit, quod quantitate uel qualitate peccabit; erunt nihilominus in ipſo omnes miſti humores,quia omnes ſunt in ſanguine,licet potentia, non actu, ut opinaris

te

te probaſſe in altero tuo præcedenti quæſito & ſubdis: At illud in ſanguinem conuertendum erat, fieri tamen nequiuit propter ſui ineptitudinem & repugnantiam, uel naturæ imbecillitatem, quòd ſi excerni nequiuerit, neceſſe eſt putrefieri, & febrem parere, quod poſtea reſidet in urina. Hæc ſunt quæ habes.

Sed poſtponamus modò hanc tuam erroneam & omnino falſam quã ſentis de humoribus opinionem, cùm ad rem noſtram non conferat, & ne uideamur tibi gratis uelle contradicere, ut tu feciſti, quanuis Gal. ſexcentis in locis contrarium ſentiat, nec quas imaginaris ſatisfacere reſpõſiones, uel minimum quidem ſatisfaciunt eis quas citaſti auctoritatibus, puerilibus tamen & friuolis admodum rationibus utens ne quibuſdam perperam a te intellectis auctoritatibus, ut cuilibet uel parum in philoſophia, & medicina exercitato facilè patere poterit. Reliqua tua uerba examinemus, quò reliqui errores tui manifeſtentur. Etenim licet quicquid alimenti in ſanguinis generatione, naturæ refugit confectionem, & demùm in urina ſubſidet, fiat, aut propter copiam, aut propter qualitatem alimenti, aut propter utrunque, quanuis qualitas, ſola ſatis ſit, quãtitas uerò non pro eiuſdem generatione, ſed pro copia quandoque concurrat) non propterea dicendum erit in eo omnes eſſe miſtos humores, neque in potentia, ut tu temerè fateris; nec propterea quòd omnes ſunt in ſanguine ſequitur quòd erunt in hac etiam alimenti parte, quæ naturæ refugit confectionem: nanque, ut inquit Gal. inter pus & naturales humores ſedimentum iniectum eſt ab utriſq; differens, quare in eius materia non erunt naturales humores commiſti, cùm eorum particeps non ſit, ſed ab eiſdem diſſideat; differt ergo a naturalibus humoribus ſedimentum, neque in actu uel in potentia in hac alimenti parte miſti ſunt, aliâs non eſſet excrementum, nec ſedimenti materia, ſed ſanguinis: in hoc etenim naturales continentur humores, ut tu met fateris, imò naturales humores, & ſanguis, idem ſunt, ut patet lib. de multi. poſſet inſuper ſi naturales humores in potentia in eo miſti eſſent aut etiam actu, uelut ſanguis aſſimilari, & demum partibus ſolidis in nutrimentum conuerti, quod quidem de materia ſedimenti haudquaquam aſſerendum eſt, poſtquàm in ſanguinem, quo loco ipſe generatur uerti non potuit ob propriam eiuſdem partis alimenti naturam, ut dictum eſt; & non propter cauſam præter naturam, quam etiam adhuc quid ſit, fateri neſcis. Neque etiam in hac alimenti parte quæ ſuapte natura ſanguificationem refugit, propterea quòd adeò familiaris non ſit, ut ex ea ualeat ſanguis,

aut quiſpiam alius humor generari, permiſti erunt humores illi excrementoſi, & ſuperflui, qui etiam in ſanguine gignendo fiunt. Nam quicquid eorum abundè craſſum, ac terreum eſt, nec commodè a naturali calore alteratur, id lien ad ſe trahit: quod uerò aſſum (ut ſic dicam) ac uſtū, id cùm flaua bilis factum eſt, per fellis uocata uaſa expurgatur: Seponitur tamen utriuſque partis tanta, talisq; portio, quanta, qualisq; ſi in totum ferretur animalis corpus, noxam aliquam inferret; reliquum uerò quod mediocre eſt, craßitudine, et abſolutum iam eſt. Similiter quod flauum eſt, tamen adhuc igneum non eſt effectum, ſimul cum ſanguine fertur, cùm non in paucis alendis particulis ſanguis tales requirat humores: ſimiliter cùm pituita ex dimidio coctum ſit alimentum, talis humor cùm euacuari non deſideret, ſed in corpore manens alterari, cùm ſit etiam animalibus ex uſu eidem, natura, nullum inſtrumentum pro eius expurgatione cōdidit, ſed ſimul etiam cum eodem ſanguine fertur, ut liquet 2. de nat. fac. feruntur itaque naturales, ac pro nutrimento utiles humores, ſimul cum ſanguine: excrementoſi uerò & ſuperflui a liene & ueßica fellis expurgantur, quo fit ut ea alimenti pars ex qua ſedimentum oritur, miſtos non habeat humores, nec naturales, nec excrementoſos, & ſuperfluos, quoniam illi cum ſanguine feruntur; hi uerò in ſanguinis generatione expurgantur. cap. 9.

Ad hæc ſi tales haberet miſtos humores, etiam in potentia (ut tu fateris) hæc alimenti pars, quæ ſanguificationem fugit, ex qua poſtea fit ſedimentum, cur eſt quòd in ſanguinis generatione, cùm hæc quoque alimenti portio, a iocinoris calore alteretur, uelut cæteræ alimenti partes, dicti humores qui in potentia in ea continentur, non reducantur ad actum, ut cæteri omnes qui ex alimentis in ſanguine generando ad actum reducuntur, qui tamen prius in dictis alimentis potentia cōtinebantur? certè nulla poſſet aßignari ratio, etenim iocinoris ui, & non alterius uiſceris; qui in potentia ſunt in alimentis humores diuerſi, ob diuerſitatem partium eorundem alimentorum ad actum reducuntur, etiamſi ob earum partium ineptitudinem, & repugnantiam in ſanguinem conuerti nequeant, ut liquet citato lib. 2. de nat. fac.

Rurſus dic quæſo quomodo ualet hæc ſequela, In ſanguine ſunt omnes miſti humores, ergo in hac etiam alimenti parte quæ ſanguificationem ſubterfugit, erunt omnes miſti, ſi pars ſanguinis non eſt, ſed in eius generatione, naturæ ſubterfugit confectionem, imò adeò a ſanguinis natura aliena, quòd amplius ex ea ſanguis fieri nequit, nec in ſolidarum partiū

ſubſtantiam

ſubſtantiam conuerti ut ex ea ipſæ nutriantur propter eius ineptitudinem ac cruditatem. Qua ratione etiam a naturali pituita differt, quæ licet ueluti ex dimidio coctum nutrimẽtum ſit, ex ulteriori tamen coctione in ſanguinem conuerti, ac in ſolidarum partium nutrimentum transmutari ualet; licet cum hoc humore maiorem habeat ſimilitudinem quàm cum cæteris,& propterea Gale. 1. de criſ. humorem inconſectum & crudum appellauit, quod poſtea in urina ſubſidet: quòd ſi inconfectus & crudus humor eſt, qui naturæ ſubterfugit confectionem, in ſanguinis generatione, qua ratione quiſpiã unquam fateri audeat utranq; bilem in potentia contineri? aut quomodo, & quo efficienti ad talem unquam actum perueniat ut ex eo bilis utraque fiat? Reliquum deniq; eſt, ut uelis nolis, fateri cogaris hanc alimenti ſeù chili partem ex qua ſedimentum fit, neque ſanguinem eſſe, neque quempiam reliquorum humorum, nec etiam in ea miſtos eſſe omnes humores ut falsò arbitraris, ſed excrementum quoddam ab eorum natura alienum, quod quidem ſimul cum ſanguine per uaſa permeans, in eiſdemque formam ſuſcipiens modo quo primus poſt Gal. inter omnes Diuiniſſ. Altimarus præceptor meus, te, tuoſque præceptores docuit, deinceps per urinam excernatur, poſtquàm in nutrimentum ſolidarum partium, neque in ſanguinem aut quemlibet aliorum humorum in eiuſdem ſanguinis generatione, conuerti nequiuit. cap. ſupra c

Quamobrem mirum etiam non eſt, ſi delirare uideris, cum ais hoc ſedimentum quod quidem ſanorum eſt, eandem habere materiam cum ſedimento ægrorum, & non niſi putredine differre, cùm manifeſtum ſit in Gal. doctrina ſedimentum in ægris potiſſimùm, febre laborantibus continua ex putredine orta, partem quandam craſſam eſſe putreſcentiũ intra uaſa ſuccorum, in ſanis uerò neque ullus humor eſt, neque putreſcens, ſed excrementum quoddam; aut ſi humor dici poterit, ille erit crudus, & inconcoctus, pituitæ ſimilis, ut dictum eſt, & propterea ex eo excremento aut crudo humore, cunctas febres, ſaltem quæ ex putredine excitantur, fateri cogeris, ſemper originem habere; nunquam autẽ ex ſanguine, aut vtraq; bile, ſi eadem, ut tu inquis, eſſet materia utriuſque ſedimenti: etenim ſemper ex eodem excremento, ſeù inconfecto humore putreſcente accenderentur.

Sed pone quamuis falſo quod in hac alimenti, ſeu chili parte ſint omnes miſti humores in potentia, & quod ubi eadem excerni nequeat, neceſſario putreſcat, & febres pariat, idque poſtea reſideat in urina, ut tu fateris.

ſateris. Qua ratione concludere audes quod propterea eadem eſt utriſque ſedimentis materia? Arbitror quidem te putredinis ignorare naturam, quæ a Gal. 11. meth. hoc modo definitur. Quòd eſt mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam a calido externo. Si itaque in eo quòd putreſcit tota ſubſtantia mutatur ad corruptelam, & per totam ſubſtantiam Gal. aliud quippiam non intelligit quā materiam & formam, ut liquet lib. de conſtitut. artis med. cum inquit; Hoc enim facto ſalubris & morboſi corporis ſcientiam non ſecundum formam dumtaxat, uerum & totam ſubſtantiam, quæ ex utraque ſimul iuncta conſiſtere oſtenſa eſt forma, inquam materia, & ipſam excipiente obtinuerimus, id quod etiam in præcedentibus cum Ariſt. & Auer. demonſtrauimus. Quomodo igitur eadem poterit eſſe materia quæ prius in ſanis erat putredinis expers, nunc uero in ægris eiuſdem eſt particeps, ſi in his quæ putreſcunt uniuerſa mutatur ſubſtantia ad corruptelam? quo item pacto eadem erit ſubſtantia, aut ſpecies, eius quod ſecundum naturam eſt, cum eo quod præter naturam, & corruptum eſt? itaque ſi tota ſubſtantia mutatur in his quæ putreſcunt, ergo & materia. Quare non erit eadem, qua inſuper ratione infertur, quod neque etiam eadem erit forma. nam mutatur tota ſubſtantia putreſcentis corporis quæ in utriſque conſiſtit, materia inquam & forma, ut dictum eſt, ergo mutatur & forma. mutatur igitur non eadem, licet mutata materia neceſſum ſit quod mutetur etiam & forma. Cum itaque neque eadem ſit materia, neque etiam forma, ſed tota ſubſtantia in his quæ putreſcunt mutetur, te inuito cogeris admittere, quod ſanorum ſedimentum, & ægrorum potiſſimum continua febre ex putredine orta laborantium, diuerſæ, & non eiuſdem ſint ſpetiei, & quod neq; eandem habeant materiam, ſed ualdè diuerſam, neq; ſolum penes magis & minus differant, ut tu falſo imaginaris, ſed ſpetie ac tota ſubſtantia ut probauimus, etiam ſi tibi conceſſum ſit febres ex putredine accenſas perpetuo ex putredine oriri ipſius materiæ ſedimenti, hoc eſt ipſius alimenti partis quæ in ſanguinis generatione, ſanguificationem ſubterfugit. & quòd denique in ipſo ſedimento miſti ſint in potentia omnes humores, ut perperam tibi uiſum eſt. Non itaque eadem eſt materia, neque eadem forma ſedimenti ſanorum ægrorumque corporum potiſſimū febre ex putredine humorum intra uaſa laborantium, neq; etiam eiuſdem ſunt ſpetiei, ut arbitraris.

Cæterum quod neque idem ſit efficiens, neque finis, neque modus generationis,

nerationis, neque etiam idem denuntient, paulo poſt demonſtrabimus, ubi prius quas citaſti Gal. auctoritates a te perperam intellectas expoſuerimus, quibus etiam probare credis eandem eſſe ſedimẽtorum materiam, ſolaq; putredine differre, ac declarare modum generationis eorundem. Prima auctoritas Gal. eſt 1. de morb. vulg. com. 2. tex. 43. a te ſcripta eadem pag. 6. cum ait § ſecundum naturam quidem ſe habente corpore quando id quod concoquitur familiarem habet naturam cum concoquente mutatio & alteratio fit totius ſubſtantiæ quæ concoquitur, aut maximæ partis eius minimo ſuperante ſemicocti: præter naturam uerò cum affecta ſint, quod eſt alienis exiſtentibus a natura tranſmutantis, & alterantis quod quidem aſſimilatur paucum eſt, quod uerò ſemicoctum excrementum, multum § ex quibus uerbis inquis, § habemus modum generationis, nam ex repugnantia paßim, & præ imbecillitate uirtutis, habemus etiam eandem eſſe materiam, differre tamen penes magis & minus familiare, ac uirtutis firmitudine & imbecillitate. At magis & minus non uariant ſpetiem, ut dicunt, ergo eiuſdem ſunt ſpeciei, habemus eandem etiam facultatem & cauſam efficientẽ. § Sed dij boni quæ impudentia & ignauia te perduxit ad talia effutiendum? Quomodo inquam ex his Gal. uerbis modum habes generationis hypoſtaſis in ſanis & ægris, ſi Gal. non de ſedimentis, ſed de omnibus quæ concoquuntur in ſanis & ægris loquatur, in ſingulis etiam coctionibus, & non in ſola ſanguinis generatione, ut eius uerba immediatè ſequentia, oſtendunt: ait nanque § iam ſicut in corporibus ſanis concoctionem indicant excrementa, non ſecus in corporibus affectis indicabunt. & ſubdit, Itaque eorum quæ in uentre concoquuntur deiecta per aluum excrementa cruditatem & cõcoctionem ex ſua forma arguunt; eorum quæ in pectore & pulmone tuſſi excreta; eorum quæ in cerebro per nares, eorum denique quæ in uenis, cum urinis effluentia. non igitur de modo generationis hypoſtaſis Gal. hoc in loco uerba facit, ſed de ſingulis quæ concoquuntur in quauis concoctione in ſanis & ægris corporibus: neq; in his ſuis uerbis modum generationis eorundem declarare intendit, ſed docere quando eius quod concoquitur, & propter quid maxima pars aſſimilatur, & paucum ſupereſt ſemicocti, nec non quando, & propter quid contrarium euenit, quod uidelicet paucum aſſimilatur, & quod ſemicoctum eſt, multum, ut exinde pateat conuenientia & differentia eorum quæ in ſanis corporibus concoquuntur, & familiaria ſunt, cum his quæ in ægris concoquuntur, & a natura immu-

tantis

tãtis & alterantis ſunt aliena, ac etiam ipſarum cõcoctionum inter ſe.

Præterea cur adeo temere fateris modum generationis eſſe ex repugnantia paſſi & præ imbecillitate uirtutis, ſi ſecundum naturam ſe habente corpore, ut Gal. inquit, quando id quod concoquitur familiarem habet naturam cum concoquente, minimum adhuc ſuperat ſemicocti; fit etenim hæc mutatio & alteratio a corpore, quod ſecundum naturã ſe habet, & nihilominus in hac coctione quacunque ea ſit, etiam uirtute imbecilla non exiſtente, aliquid ſuperat ſemicocti. Qua igitur ratione dicis Gal. includere uirtutis imbecillitatem, ſi ipſe eius non meminit? ſed aſſeruit minimum ſuperare ſemicocti ex eius quod coquitur natura dumtaxat proueniens, quamuis id admodum familiarem habet naturam cum concoquẽte, & corpus ſecundum naturam ſe habeat. Quandoquidem nihil ferè tam familiare exiſtit, etiam corporibus ſecundum naturam ſe habentibus, quin in eius coctione aliquid naturæ confectionem non ſubterfugiat, ut paulo ante oſtendimus, & hoc etiam in loco teſtatur Gal. etiamſi uirium nulla adſit imbecillitas, ſed quantumuis robuſta fuerit, neque etiam uirium imbecillitatem concurrere teſtatus eſt; Quamuis corpora præter naturam ſe habeant, & ea quæ concoquuntur aliena ſint a natura immutantis & alterantis; quo caſu quod aſſimilatur paucum eſt, quod uero ſemicoctum excrementum, multũ; ſed huius cauſam eis quæ concoquuntur tribuit, ob id quod ſunt a natura transmutantis & alterantis aliena: hæc nanque cauſa eſt quod in concoctione aliqua in corporibus etiam præter naturam ſe habentibus, multum remaneat ſemicoctum excrementum, quod uero aſſimilatur paucum ſit, & non uirium imbecillitas maior aut minor, ut tu temerè fateris. Sola igitur repugnantia paſſi (utor tuis uerbis) cauſa eſt generationis cuiuſlibet ſemicocti excrementi; & quo maior fuerit repugnantia, hoc eſt quod quæ tranſmutantur, ſint magis aliena a natura tranſmutantis, eo maior ſupereſt ſemicocti excrementi copia, neque uirium imbecillitas neceſſaria eſt in eorundem excrementorum generatione, quamuis interdum concurrat, in maioris eius copiæ generatione, ut diximus: quod quidem ueritatem habere fatemur etiam in materiæ ſedimenti generatione, & potiſſimum in ſanis corporibus, quamuis Gale. hoc in loco ſpetiatim illud docere non intendat, ut tu falſo credis.

Sed illud ſtudioſi iuuenes ferre quidem non ualeo, qua ratione uidelicet uir iſte dicat ſe habere ex his Gal. uerbis eandem eſſe materiam hypoſtaſis ſanorum & ægrorum, differre tantum penes magis & minus, familiare, ac uirtutis firmitudine & imbecillitate. nam pone quod de

hypoſtaſis

hypoſtaſis generatione ut tibi, uir inſulſiſſ. uidetur, hic loquatur Gal. quomodo eadem dicenda ſit utriuſque materia ſi ſecundum naturam ſe habente corpore quando id quod concoquitur familiarem habet naturam cum concoquente minimum ſuperat ſemicocti, inquit Gal. quo loco de concoctione alimentorum ac eorum quæ familiaria ſunt, & in corporibus ſanis idem Gal. loquitur, & deinceps ſubdit, quod quando eadem corpora præter naturam affecta ſunt, & quæ immutantur, & alterantur aliena a natura tranſmutantis & alterantis minimum aſſimilari, & multum ſupereſſe ſemicocti excrementi. Ex quibus uerbis clara luce liquet, Gal. corpora ſecundum naturam ſe habentia, cum his quæ præter naturam affecta ſunt, comparare, quo ſcilicet ad concoctionem ſpectat; & ei alimenta familiaria cum humoribus putreſcentibus ac a natura alienis; quod quidem manifeſtauerat per immediatè antecedentia uerba, cum dicebat § coctio enim quædam eorum quæ præter naturam ſunt maturatio morbi, ipſa uerò concoctio in concoquentis ſubſtantiam deductio quædam eſt eius quod concoquitur: § nam & Hipp. in textu, de concoctione, ſeu morbi maturatione quæ per excrementa conſideranda eſt, uerba fecerat, quã ipſe in commento exponere intendit. Quomodo igitur eadem ſit materia ſi in ſanis alimenta ſunt, & familiarem habentia naturam cum eiſdem corporibus ſanis ea quæ concoquuntur: In ægris uerò quæ concoquuntur præter naturam ſunt, atque a natura immutantis & alterantis aliena? poteſt ne eadem eſſe materia quæ familiaris ſit, & familiarem habeat naturam, cum ea quæ aliena, & præter naturam eſt? Inſuper materia putredine carens ab ea quæ putredinis particeps eſt? (niſi ad primam recurras materiam, qua ratione omnia quæ ortui, & interitui ſubiacent, eandem habere materiam diceremus. At nos non de hac, ſed de ea quæ formæ ſubiacet propriæ uerba facimus, quæque ſimul cum eadem forma compoſitum & tam ſubſtantiam conſtituit) erit itaque omnino diuerſa eorum materia quæ in ſanis corporibus familiarem habentia naturam, concoquuntur, ab eis quæ in ægris præter naturam ſunt, atque a natuea tranſmutantis, & alterantis aliena, quemadmodum hoc in loco uidetur innuere Gal. Neque quòd eadem ſit utriuſque ſedimenti materia ex eius uerbis inferri poteſt, aut quod eadem ſit cauſa efficiens ſiue quod eiuſdem ſint ſpetiei: & propterea quod non ſolum penes magis & minus familiare, neque etiam uirtutis firmitudine & imbecillitate differunt, ut tu temerè enuntias, ſed tota ſubſtantia, materia inquam & forma,

Quanquam hoc in loco a te citato, nihil eorum quæ tu infers, Gal. conſcripſerit.

Sed magis delirare uideris cum ais hæc clarius Gal. declarare 2. de diff. feb. cap. 5. his uerbis § ſemper enim ſuis natura uiribus utens, & cætera §. Quo in loco imaginari equidem non poſſum, quomodo de ſanorum, ægrorumque ſedimentis uerba fecerit Gal. aut de modo generationis eorundem, ſeu quo pacto ex illis Gal. uerbis id habeatur, quòd uidelicet utriuſq; ſedimenti eadem ſit materia, cum nequidem uerbum ullum de ſedimento fecerit. Verum cum prius concluſiſſet iam quod ad atræ bilis morbos febris non neceſſario conſequitur, niſi quando ipſa atra bilis prius putreſcat, huius cauſam reddens aſſeruit. § quoniam natura ſemper conatur ſuis uiribus utens quicquid contigerit optimum fieri his quæ aluntur partibus aſſimilare: Quicquid uerò alienum, conatur excernere. quòd ſi id excernere ob quampiam illarum cauſarum quas ipſe affert, nequeat, neceſſum eſt ubi diutius quod uitiatum ſit in animalis corpore perdurauerit, ut corrumpatur; propterea quod, ut ipſe inquit, neque etiam fieri poteſt, ut aliquis quiſpiam ex humoribus talis permaneat, qualis erat ab initio, nedum ita deprauatus ut naturæ cultus ſit expers. Sed alterum omninò ſequitur, ut ſcilicet concoquantur, apponantur, atque aſſimilentur ſolidis animalis partibus, aut corrumpantur & putreſiant, & hac ratione febris ſequatur. § vult itaque hiſce in uerbis Gal. uniuerſaliter de omnibus humoribus demonſtrare, nedum de ipſa atra bile, quod poſſint interdum in corpore redundare abſque eo quod corrumpantur, & putreſcant, & propterea febres generent: Verum ubi diutius corpus obſederint, ſi non excernantur, tunc neceſſe eſt eos putreſcere: ac febres ſuperuenire; idque probat immediatè exemplo eorum qui morbo regio, aut atræ bilis paßionibus infeſtantur; ſimiliter hepatis aut ſplenis affectibus. Qua itaque fronte ita audacter concludis ex his uerbis quod eadem ſit materia utriuſque ſedimenti, ſi de humoribus loquitur Gal. ac de utraque bile, nec uerbum quidem unum de ſedimentis, ac eorum materia profert? qui etiam humores alterius ſunt naturæ ac ſpetiei cum corrumpuntur & putreſcũt, ab eiſdem non putreſcentibus, ubi in corpore redundauerint. Te ergo concludente ex his Gal. uerbis eandem eſſe utriuſque ſedimenti materiam, modumque generationis eorum, cum nihil ineptius, & ſtultius dici poſſit, Teſtor æternum Deum, quod non poßum pro te non erubeſcere.

Sed

Sed nec minus deſipis in 7.pag.cum confirmare etiam credis eandē eſſe materiam utriuſque ſedimenti, alia eiuſdem Gal.auctoritate ſimiliter a te obintellecta citato lib.2.de diff.feb.cap.14.cum inquit§ duplex autem eſt in omnibus entibus extraneum, & cætera§ex qua concludis luce clarius apparere eandem eſſe materiam utriſque ſedimentis. Sed bone Deus nō percipis hoc in loco Gal.uelle cauſam manifeſtare ob quā in omnibus entibus duplex generetur extraneum ſeu ſuperfluum, alterū qualitate, alterum quantitate: & qua etiam ratione ex alijs partibus ad alias defluant, & fluxio fiat, illudque uniuerſaliter in ſingulis membris fieri oſtendit ob uigorem uel imbecillitatem naturalium facultatū, quæ ubi æquè ualentes fuerint, & meatus per quos materiam inutilem excernunt, ſecundum naturam ſe habuerint, omnia membra in ſanitate conſiſtunt, ut ipſe ait: Vbi uerò plus abſumptum fuerit quam poſſit alterari, omne quod ſuperfluum eſt a uirtute expultrice truſum, neceſſario excernitur; Quod ſi imbecilla fuerit, in eodem reſidet loco, ac ſi multum fuerit, grauat, & extendit; ſi uerò acre, exedit ac mordet, & quod calidum eſt, calefacit, quod uerò frigidum, refrigerat: & ſtatim illud uentriculi exemplo confirmat inquiens § hæc autem liquido in uentriculo apparent. nam quidam ubi cibum ampliorem aſſumpſerint, ex nauſea interdum coguntur euomere, interdum uerò alui profluuio corripiuntur, & deinceps uniuerſaliter concludit cuiuſlibet effluxus cauſam ſimilem eſſe in cæteris partibus omnibus, licet non per adeo laxiora, & maiora ſpatia ſuperfluum a fortioribus, ad imbecillimas partes confluat, quemadmodum extra expellitur per iam dictas uentriculi uias. Cum itaque de omni ſuperfluitate in quacunque corporis parte genita, tam in quantitate, quam qualitate uerba faciat hoc in loco Gal. & uentriculi exemplo uelit cuiuſlibet fluxionis cauſam docere, quæ eadem ratione contingit in ſingulis animalis partibus, cur credis quod de ſedimentis loquatur, & quod in his uerbis uelit Gal. eandem eſſe materiam utriſque ſanis inquam & ægris, imo uis quod ex eis clara luce id pateat, & quod ſolum differant quod ſanis non putreſcat, in ægris uero quia expulſiuam habent imbecilliorem, putreſcit: & minus ſit naturæ familiare, cum neque de ſedimentis ſanorum, ægrorumque corporum, neque etiam de excrementis putreſcentibus Gal. uerba faciat, ſed quantitate, aut qualitate dumtaxat peccantibus. Qua de re quam uis clara luce id quod deſiderabas ex his Gal.uerbis apparere arbitreris, in his tamen longè magis, quam in alijs cæcutire uideris.

Hoc luculentius fit ex 3.prog.36.ut inquis in pag.8. bis uèrbis § cæterũ nullo pacto ſedimentum habet urina ſi tenuiter & c. § ſed locus eſt ſecundo prog. 26.ubi credis Gal. uelle ſedimentum in morbis partem eſſe crudorum humorum qui propter ineptitudinem eorum ſanguificationem fugiunt; ergo eadem eſt materia, & putredine tantum diſcrepant,ut tu inquis. At Gal.hoc in loco cauſam reddere intendit, cur urina nullum quandoque habeat ſedimentum interim copioſum, & interdum exiguum: nam paulo ante exponens Hip. uerba pro eorum ueritate dixerat,quod ſi urina habeat ſedimentum,id neceſſe eſt quod candidum,æquale,& leue ſit quoad diſſoluitur morbus: quod quidem de optima urina Hipp.dixerat in textu. Et deinde idem Gal.ſubdebat §ſi uero non habet prorſus aliquã nubeculã obtinebit,&c.§ ut patere poterit cuilibet Gal.uerba legenti ac intelligenti. Verum cum hoc Gal. intendat, qua fretus ratione tu infers ex his Gal.uerbis ſedimentum in morbis eſſe partem humorum crudorum, qui propter ineptitudinẽ eorum ſanguificationem fugiant, & quod eadem ſit materia putredine tantum diſcrepans?

Nec propterea quod ſi tenuiter uiuitur,nullo pacto ſedimentum habet urina,copioſum,ſi largius: exiguum,ſi modicè uiuitur. & propterea quod ſedimentum habet copioſum, quoties morbus ex humoribus crudis corpus fatiget, nullo uerò modo,aut omnino minimũ,quoties ex billioſis,ſed ſatis erit ſi habeat ſublimamentum,ſedimentum erit in morbis pars humorum crudorum,qui propter ineptitudinem eorum ſanguificationem fugiunt: neque etiam eadem erit materia putredine tantum diſcrepans, ut tu credis,ſed illud euenire cẽſendum eſt,propterea quod ſi putreſcant qui in uenis redundant ſucci, quicunque fuerint,ubi eos ſuperauerit calor quicquid fumoſum ſeu fuliginoſum eorum fuerit, ac tenue expiratione & contractione arteriarum expellitur: quicquid uerò co ſup.] cit. *ueluti cineritium & craſſum,per urinas,ut liquet 3. de præſag. ex pul. Quamobrem cum redundantes ac putreſcentes ſucci craßi ſint, copioſum habebit urina ſedimentum,quoniam exiguum eſt in eis quod fuliginoſum exiſtit,& expiratione,ac contractione arteriarum excerni poteſt: Quod uero craſſum,& ueluti cineritium, multum. Vbi uerò admodum fuerint tenues nullo pacto urina habebit ſedimentum,ſed ſuſpenſum,aut nebulam: proptera quod multum expiratione,& arteriarum contractione excernitur, & paucum remanet craſſum, & ueluti cineritium. Si uero nec admodum craßi, nec admodum tenues fuerint,habebit*

bebit ſiquidem urina ſedimentum, ſed illud erit exiguum: & ob id dicebat Gal. quod ſedimentum habet urina copioſum, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget. Nullo uero modo aut omnino minimũ quoties ex bilioſis, ſed ſatis erit ſi habeat ſublimamentum. Quòd uero id ex diuerſa etiam uictus ratione proueniat, qua eadem corpora utuntur, cum Gal. affirmamus, propterea quod diuerſi etiam ſuperabundantes generãtur in qualitate humores, & multi & pauci, & craſſi & tenues, & mediocres. At non propterea aſſerendum eſt eos eſſe partes humorum crudorum qui ſanguificationem fugere, quodque eadem ſit materia putredine tantum diſcrepans, ut tu ais: nam poterit ſanguis eſſe qui intra uaſa putreſcit, aut cæteri humores in ſanguine miſti, ut bilis flaua uel atra, ſeu naturalis pituita, qui nullo pacto ſunt chili partes, ſeu humorum crudorum qui ſanguificationem fugerunt, & ſedimenti materia, ſed ipſius ſanguinis. Non ergo eadem erit materia utriſque ſedimentis, ſi tot diuerſi humores poſſunt intra uaſa putreſcere, quorũ quilibet ſuam habet propriam materiam diuerſam, ab ea parte humorum crudorum, qui propter ineptitudinem ſanguificationem ſubterfugit, & in ſedimentum uertitur.

Sed admittatur modo, licet & falſum ſit, & Gal. omnino pugnet, hanc partem humorum crudorum quæ ſanguificationem ſubterfugit, ſemper intra uaſa putreſcere in febribus ex putredine ortis, ut tu conaris perſuadere, qua ratione audes concludere quod eadem ſit materia, ſi putredine, ut tu met fateris, diſcrepant, cum putridi natura omnino diuerſa ſit a non putridi, & unum ab altero tota ſubſtantia diſſideat. Et propterea non ſolum materia, ſed etiam forma, ut demonſtrauimus cũ Galeno. Cum ergo hæc chili, ſeu humorum crudorum pars in ſanis corporibus ſit putredinis expers, in ægris uero eiuſdem particeps, non utique erit eadem utriuſque materia. Allucinaris inſuper cum fateris in morbis hanc partem ſemper putredine participare, quod etiam confirmas 9. & 11. pag. Neque enim hoc Gal. ipſe fatetur hoc in loco, ſed ait ſedimentum eſſe in morbis partem humorum redundantium. Inquit enim, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget, ſedimentum habet urina copioſum, nullo uerò modo, aut omnino minimum quoties ex bilioſis, ſed ſatis ſit ſi habeat ſublimamentum: Poterunt nanque hi humores corpus fatigare, ac morbos parere quoſdam citra putredinem, quo tempore quicquid eorum per urinam excernitur, a calore euictum eſt, non tamen putredinis particeps erit, & ob id hæc ma-

teria putredine non diſsidebit ab ea : ex qua fit ſedimentum in ſanis corporibus; ſed aut eadem, aut alia ratione diuerſa. Non itaque ſemper uerum eſt materiam ſedimenti in ægris corporibus putredine differre ab ea quæ ſanorum eſt, cũ interdũ putredine careat, ut dictum eſt.

Nec minus deceptus es ex Gal. auctoritate primo de Criſ. cap. 12. cum inquit § præterea & in pueris ferè omnibus, & perfectam ætatem habentibus, qui otioſam uitam degunt, aut quouis aliomodo pleni ſunt &c. § nam quamuis in iam dictis corporibus, ob cauſas quas Gal. affert, multam habeant urinæ ſubſidentiam; quoniam multum crudi humoris coaceruant, & propter eandem quoque cauſam in his qui ex otio & repletione febricitãt, ſi ſanitati reſtitui debeant, neceſſario plurimum ſubſidere oportet, eo quod plurimum etiam crudi humoris coaceruant : contrà uerò eueniat his qui ex inædia & labore propter cauſam contrariam: non propterea ſequitur quod eadem ſit materia utriuſque ſedimenti, putredine tantum differens, & quod febris ortum ducat ex ſedimento illo retento, in quo fundatur putredo, ut tu falſo opinaris, nec etiam illud innuit Gal. his uerbis, ſed enarratis cauſis ob quas in illis corporibus, pueris ſcilicet fere omnibus, & perfectam ætatem habentibus qui otioſam uitam ducunt, aut quouis alio modo pleni ſunt, ſatis multam habent urinæ ſubſidentiam. ſubdit, quod hæc quoque cauſa eſt ut ijs qui ex otio, & repletione febricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario plurimum ſubſideat, propterea quod in his quoque plurimus coaceruatus eſt crudus humor, craſſus, & pituitoſus, qui a calore etiam euictus, expiratione & arteriarum contractione, ubi intra uaſa putreſcat, & febrem generet, expelli ſanè nequit, aut exiguum eſt quod hac uia expellitur : ſed oportet ut per inſigniores meatus excernatur maior eius pars, hoc eſt per urinas, & non propterea id euenit quod eadem ſit materia utriuſque ſedimenti, & quod putredo in ſedimento fundetur, ut tu credis. Subdit deinde Gal. contra ijs qui ex inædia & labore ruffæ quidem & bilioſæ urinæ; ſoluitur enim morbus priuſquam ſubſideat aliquid plerunque: ſufficit enim in his & nebula, & ſuſpenſio bona, &c. § ac ſi uelit innuere quod in his qui ex inædia & labore febricitant, quoniam redundans ſuccus eſt bilis in qua fundatur putredo, & non ſedimentnm ut inquis, id quod oſtendit eorum urina ruffa, & bilioſa, contra euenit quam in prædictis : etenim plurimum expiratione, & arteriarum contractione natura expellit, cum tenuis ſubſtantia ſit humor, exiguum uerò per urinas : nam quod ueluti cineritium ſupereſt,

pereſt, paucum omnino exiſtit: nequaquam tamen cum Gal. negamus interdum adeo in quibuſdam corporibus augeri poſſe intra uaſa in confectum illum ac crudum humorem qui in ſanis corporibus ſedimẽti materia eſt, quod & putreſcere, & febrem accendere ualeat. At non propterea dicemus febrem ex ſedimento retento in quo putredo fundatur, ortum ducere, cum adhuc materia illa, ſedimentum non ſit; quinimo ſi adeo eadem materia eſſet uicta a uaſorum natura, ut ſedimentum effectum eſſet, excerni anticiparet priuſquam putreſceret, ut tu met fateris in pag. 9. inquiens quod ſana corpora in quibus ſedimentum generatur, & ſi concoctricem habeant imbecillam, excretiua muniuntur ualida, neque etiam fatebimur eandem eſſe materiam, quoniam putredine ſaltem differunt, & ob id, ut probauimus, non poſſunt eandem habere materiã ſanorum, & ægrorum ſedimenta, putreſcentibus intra uaſa humoribus. inſuper non raro contingit quoſdam ex ocio & repletione laborare, & inædia, non febre ex putredine orta, ſed diaria. Quamobrẽ id quod per urinas excernitur in his corporibus ſiue multum, ſiue paucum ſit, putredine non diſſidebit ab eo quod in urinis ſanorum apparet, cum putredinis ſit expers. Quare falſum etiam eſt quod eadem ſit materia, & quod differt tantum, quia in ſanis putredinis eſt expers, in ægris uerò minimè. Quandoquidem non ſemper ægri ex putredine febricitant: & licet luce meridiana clarius fatearis hoc loco Gale. iſthæc omnia aſſerere, mediæ tamen noctis obſcuritate, quæ dicis ſunt obſcuriora, & a Gal. doctrina omnino aliena, ut cuilibet eius uerba inſpicienti & intelligenti patere poterit.

Eadem quoque pag. 9. tentans has tuas confirmare monſtruoſas chimeras, iterum ais quòd corporibus quæ optimam ſortita ſunt conſtitutionem, nullam faciunt urinæ hypoſtaſim: quod quidem quantum ſit a ueritate & Gal. doctrina alienum, in præcedentibus demonſtrauimus, & iterum confirmamus. nam optimè coctam urinam in his corporibus quæ ſupremum obtinent gradum, conſiderare oportet, ut inquit Gal. 1. de criſ. quæ præter cætera in colore, & ſubſtantia, cùm adhuc coquitur ſanguis eadem urina albam, leuem & æqualem ſubſidentiam, multamq; facit. iam uerò perfecta coctione, color quidem urinæ intenditur, minor autem ſubſidet: & eodem loco poſt pauca dicebat § quantum autem ad uſum refert facillimum inuenire eſt quòd urinarum quæ ſecundum naturam ſe habent, terminus eſt in ſanis corporibus primum coctionis ſanguinis tempus, & qui hanc fuerit contemplatus: deinde ueluti regulam a- Loco citato

 liarum

liarum urinarum ſibi ſtatuerit quanam ipſam mutant diſpoſitiones, fa cilè inueniet: nam ſi colorem exquiſitè ſeruauerit, ſubſidentiam uerò albam, leuem & æqualem, & multam fecerit, ſic quidem coctionis etiã ſignum exquiſitum fuerit, plus autem de humore qui crudus nominatur, euacuari demonſtrat.} Hæc Gal. Quid ergo clarius quòd in optimè ſanis corporibus urinæ, nedum hypoſtaſim ſemper habent albam, leuem & æqualem, ſed interim etiam multam?

Dubitas in 10. pag. & rectè quidem cùm dicis ſi 2. de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. Gal. ait hypoſtaſim ægrorum partem eſſe humorum intra uaſa putreſcentium, & illud confirmat Auic. lib. 4. fen 1. tract. 2. cap. 17. & ſedimentum ſanorum pars eſt alimenti quæ in hepate ſanguificationem refugit, quomodo poterit eorundem eadem eſſe materia? cùm ſucci putreſcentes, & alimentum diuerſi ſint, & inter ſe ualdè diſtent? Quomodo ergo materia communicabunt? Verùm quanuis dubitatio bona ſit, eidem tamen nullo modo ſatisfacere uideris. Ais enim uerum eſſe ſedimentum ægrorum, portionem eſſe putredinis, & ſanorũ alimenti quæ in hepate ſanguificationem fugit: nihilominus humor ille putridus, cuius hypoſtaſis eſt pars, & quid aliud eſt quam excremẽtum quoddam alimenti quod ſanguinis fugit uerſionem, quod cùm expulſum non fuerit, putredinem acquiſiuit, ex qua fit febris? Expellitur deinceps a natura ſuperatum, & euictum, reſidetque in urina, idque confirmare iterum credis Gal. auctoritate 1. de criſ. & 2. de diff. feb. Quòd uerò hæc tua reſponſio nulla ſit præter ea quæ aduerſus hanc tuam opinionem prius notauimus, iterum demonſtrabimus. Etenim non ſemper ille humor putridus cuius hypoſtaſis ægrorum eſt pars, excrementũ eſt alimenti quod ſanguinis fugit uerſionem: nam poterit ſanguis eſſe qui putreſcit, & tunc ſedimentum erit pars ſanguinis putreſcentis. poterit inſuper eſſe quiuis alius humor in ſanguine mictus, eundem ſanguinem conſtituens. Scimus etenim in Hipp. & Gal. doctrina ſexcentis in locis, ſanguinem appellari, qui utriusque bilis, & pituitæ particeps eſt: imò intra uenas alium præter hunc ſanguinem non contineri, & ita non erit excrementum quoddam alimenti, quod ſanguinis fugit uerſionem, imò erit pars eiuſdemmet ſanguinis, aut humorum qui in ſanguine miſti ſunt; non ut excrementa eiuſdem, ſed partes, quandoquidem illi dumtaxat humores, ſanguinis excrementa dicuntur, qui in eius generatione in hepate tanquam ſuperflui expurgantur, ut dictum eſt, ex Gal. mente 2. de nat. fac. & 4. de uſu par. Quòd ſi uelis fateri & hos quoque humores

loco ſup. cit.

res in ſanguine miſtos eſſe excrementa eiuſdem, ubi præſertim redundauerint & putreſcant, adhuc falſum eſt quod fateris: quoniam ſaltē non erunt miſti in ea alimenti parte, quæ naturæ confectionem refugit in ſanguinis generatione, ex qua fit ſedimentum in ſanis: neque eiuſdem partes erunt, ſed cum ſanguine ipſo miſti ſunt, ac eius partes, & propterea ſedimentum quod ex eis fit cùm putreſcunt, non habebit eandem materiam cum ſanorum ſedimento, neque erit eiuſdem ſpeciei.

Præterea hoc excrementum, alimenti quod in ſanis corporibus ſanguinis fugit conuerſionem, ex quo poſtea in eiſdem fit ſedimentum, humor crudus & inconfectus appellatur a Gale. 1. de criſ. & ob id pueris ferè omnibus, & eis qui otioſam uitam duxerunt, aut quouis alio modo pleni ſunt, multam habent urinæ ſubſidentiam, ut ipſe inquit; ſi itaque humor crudus eſt atque inconfectus, ea alimenti portio, quæ naturæ cōfectionem in ſanguinis generatione ſubterfugit, quando una uel altera bilis intra uaſa putreſcit, quomodo poterit eſſe hoc alimenti excrementum? pari ratione imò magis neque ubi ſanguis putreſcat, etenim excrementum hoc in ſanguinem uerti non potuit, ut inquit Gal. & tu met fateris. quare neque etiam in bilem flauam, aut atram conuertetur, cùm potius ad non naturalis pituitæ naturam accedat; propterea quòd humor eſt crudus, & incoctus: ſanguis ſiquidem in medio eſt bilioſorum atque crudorum humorum, nam illi ex ſanguine fiunt, ubi ſupra iuſtum modum eſt percoctus: hi uerò ex eo nondum perfecto, ut liquet 4. de ſanit. tuen. Ex quibus liquet, quòd ſi hæc alimenti pars in ſanis corporibus ex qua fit ſedimentum, adeò ſanguificationem ſubterfugit, ut in ſanguinem conuerti non potuerit, eò magis neque in bilem flauam, aut atrā conuertetur; & ob id ubi hi humores intra uaſa putreſcant, cùm ſedimentum pars ſit quædam eorum craſſa, & ueluti cineritium quoddam, longè diuerſa erit eorum materia, ab ea quæ in ſanis continuè generatur, & in urinis apparet. remanet igitur hæc tua dubitatio inſoluta, & in perpetuum remanebit.

loc. præcit.

cap. 4.

Et quanuis adhuc pertinaciter exemplo quodam, & certè ridiculo, tuam falſam opinionem confirmare tentes in pag. 11. Ais enim eandē eſſe materiam ſedimentorum, differentiamque tantùm uerſari penes putridum & imputridum, ſicut eadem materia ſudoris & urinæ, diſcrepant tantùm loco & materiæ tenuitate, ita eadem materia utriuſque ſedimenti, tantùm putredine uariant, cùm ſanorum putredine careat, ægrorum uerò illius minimè eſt expers. Nihilominus in his uerbis erras;

primò quia credis in ægris ſemper materiam ſedimenti putredine participare, cuius contrarium pauloante demonſtrauimus: nanque in quibuſdam ægris ſedimentum putredinis particeps non eſt, utputa in diarijs febribus, & in his in quibus redundantes intra uaſa humores, morbos quoſdam efficiunt nondum putreſcentes; quemadmodum in continenti febre citra putredinem, & in quibuſdam morbo regio, aut cachexia laborantibus, aut etiam ſpecie aliqua aquæ intercutis, & in ijs quoq; quos morbi quidam ex copia crudorũ humorũ citra putredinẽ fatigãt.

Nec minus deridendus es cùm collationem facis inter materiam urinæ & ſudoris, & materiam ſedimenti ſanorum & ægrorum corporũ; ita ut arbitreris eandem eſſe hanc materiam utriuſque ſedimenti, quemadmodum materia ſudoris & urinæ. quod quidem exemplum, neque ad propoſitum eſt, neque ullam habet ſimilitudinem ſedimentorum materiæ, cum ſudoris & urinæ materia: Nam ſudor, & urina eandem habent materiam, & eundem generationis modum. Siquidem utriſque ex bibito humore conſtat generatio, excalfacto ſimul in corpore, & bilioſæ nonnihil ſubſtantiæ adepto, quanuis ſudor plus ſit elaboratus, utpote qui ad cutim uſque, permeatis omnibus quæ interſunt partibus, peruenit: Gal. auctore 10. de ſimpl. med. fac. At ſedimentum ſanorum & ægrorum corporum neque eãdem habet materiam, ut demonſtrauimus, neque eundem generationis modum ut probabimus, neque tenuitate materiæ tantùm differunt, ſed diuerſa omnino eorũm materia eſt, etiamſi ſemper eadem materia ex qua in ſanis corporibus ſedimentum fit, & non alius quiſpiam humor diuerſus in ægris putreſceret, quemadmodum tu falsò imaginaris. nam etiam te annuente ſaltem putredine differunt, eo magis ubi quiſpiam alius humor diuerſus ab ea alimenti parte quæ in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugit, ex qua fit ſedimentum, intra uaſa putreſcat, ut demonſtrauimus. falſa eſt inquam ſimilitudo quam affers, nec exemplum materiæ urinæ & ſudoris tuã prauam opinionem confirmat, ſed extra propoſitum eſt, cùm nullã habeat ſimilitudinem cum materia ſedimentorum ſanorum & ægrorum corporum. Qua de re ſatius erit non ui, ſed ſponte ueritatem cõfiteri, & cum Gal. aſſerere diuerſam eſſe ſanorum ægrorumque ſedimentorum materiam. Quod etiam confirmauit Arabum princeps: nam cùm declaraſſet lib. 1. fen. 2. doct. 3. cap. 6. in ſanis corporibus ſedimentum eſſe ſuperfluitatem ex cibo a digeſtione priuatam: id quod Gal. ſcriptum reliquerat 1. prog. ult. Deinde lib. 4. fen. 1. tract. 2. cap. 7. inquit quòd ſedimentum

[margin: ...p. de ſudore.]

mentum laudabile aliquid aliud non eſt, niſi humor faciens ægritudinẽ, qui iam digeſtus eſt, quod inſuper 1.de diff.feb. & 3.de praſag. ex pul. apud Gal. legitur.

Derelicta ſedimenti materia, tandem in pag.11. deuenis ad probandum quòd idem ſit efficiens utriuſque ſedimenti, utputa natura in ſolidis partibus reſidens: atque ais illud ſexcentis in locis Gal. docere, præſertim 1.aphor.15. his uerbis, § Neque aliud quicquam animal ab initio efformauit, &c.§ ex qua auctoritate concludis omnia a calido innato fieri, qui iuxta ſuam & Hipp. doctrinam eſt ipſa facultas naturalis: neq; eum indigere ope aliena, utpotè cauſa præter naturam, ut apertè allucinati ſunt Neoterici. Præterea ais quòd id etiam cõfirmat Gal. in morboſis affectibus ex 4. apho.22.1. de morbis uulg. 2. de diff. feb. locis a te prius citatis 2.apho.7.& 4.de rat. uictus 48.& alijs locis.

Sed bone Deus quis unquam adeò inſcius & impudens erit, qui negare audeat omnium operationum naturalium, ac cuiuſuis perfectionis in noſtris corporibus cauſam eſſe naturam ipſam ſeù calidum innatum, cuius quidem munus eſt concoquere, aſſimilare, nutrire, efformare, augere, excernere, attrahere, retinere, atque ut uno uerbo dicam, omnia pro animalis tutela in corpore perficere: neque alterius in hoc auxilio indiget, potiſſimùm cauſa præter naturam, tàm in ſanis quàm in ægris corporibus, ut liquido conſtat in Hippoc. & doct. & diſertiſſimè docuit in ſuo de Alteratio. lib. doctiſſimus præceptor meus Altimarus. Verùm non propterea ex his atque ex citatis a te locis inferri poteſt quòd idem ſit efficiens ſedimenti in ſanis ægriſque corporibus, nec mihi ſuadere ualeo: quomodo audes illud concludere cùm in ægris corporibus, putreſcentibus præſertim intra uaſa ſuccis, licet quicquid eorum perficitur, concoquitur, ac quodammodo aſſimilatur, a natura, ſeù uaſorum naturali calore fiat, non propterea negandum eſt quòd idem putreſcens ſuccus non alteretur, ac tranſmutetur ab alieno, & præternaturam calore, eundem in contrarium alterans, atque tranſmutans, hoc eſt ad imperfectionem, putredinem, ac corruptionem: id quod ſole clarius manifeſtum eſt in Gal. doctrina: nam ueluti innatus & ſecundum naturam calor, aptus eſt perficere & concoquere, ita alienus & præternaturã, putrefacere & corrumpere; vt liquet ex Ariſtot.4. metheororum, & Gal.2.de diff.feb. Hoc itaque contingit putreſcentibus intra uaſa humoribus ab utroque calore tranſmutatis, & propterea cùm ſedimentũ ſit pars humorum intra uaſa putreſcentium, ut patet ex eiuſdem Gale. textu 4. & 2 cap.9. locis præcit.

E 2 auctoritate

auctoritate 1. de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. & tu quoque illud met fateris in pag. 10. ſequitur quòd idem ſedimentū, effectus ſit utriuſque caloris, poſtquam ab utroque calore eius materia alterata & tranſmutata eſt, & non a naturali calore, ſeu uaſorum natura dumtaxat ut tu inquis.

cap 6. *Id uerò confirmatur a Gal. 5. de ſimpl. med. fac. dum inquit, Etenim cùm tres in animalium corpore fiant alterationes, una planè ſecundum naturam eſt, cùm uidelicet in uentre cibus concoquitur, aut in uiſceribus & uaſis, qui inibi generatur ſuccus, unde rurſus pars unaquæq; nutriatur. altera contra planè præter naturam nempè in putrefactis omnibus, atque quodammodo inuicem ſibi contrariæ ſunt: tertia ex utraque miſta, & media eſt; partim primæ quicquam obtinens ac naturalis, partim huius contrariæ quæ eſt præter naturam. quid clarius quòd alimentorum, & ſuccorum concoctio & generatio ex alteratione fiat ſecūdum naturam a naturali dumtaxat calido, in omnino putrefactis atque corruptis a ſolo præter naturam calore fiat alteratio, & quòd alia, & tertia alteratio ſit ex utriſque miſta, & media, cùm a calore tùm naturali tùm præter naturam fiat, quæ quidem putreſcentibus ſuccis competit, quemadmodum idem Gal. hoc in loco, ac etiam comm. aphor. 47. 2. lib. comprobat puris exemplo: ait nanque§ quòd pus ex ſanguine ortum habet qui ſemimalam, ut quiſpiam dixerit, habet tranſmutationem; nam mala ſimpliciter cum putrefactione, fit olida, utpote a calore præter naturam dumtaxat, tranſmutatione effecta; § Deinde ſubdit § ſicuti quæ ſimpliciter bona, eſt ipſa nutritio partium animalis, at quæ pus generat, medium inter has obtinet locum, neque a ſolo calore extra naturam, neque a ſolo ſecundum naturam procedens: miſtus enim quodammodo ex utriſque eſt calor inflammationis § quid manifeſtius dici poterit, poſtquam ait Gal. quòd ea tranſmutatio quæ pus generat medium obtinet locum inter eam quæ a ſolo calore extra naturam, & eam quæ a ſolo ſecundum naturam fit: & quòd calor hanc efficiens tranſmutationem, miſtus ſit ex naturali & præternaturam: id quod etiam aſſerendum eſt de ea parte putreſcentis intra uaſa humoris, ex qua fit ſedimētum in ægris corporibus, poſtquam eodem modo, & ob eaſdem etiam cauſas ueluti pus in inflammationibus generatur, loco dumtaxat diſſidens, ut patet apud eundem Gal. citato lib. 3. de præſag. ex pul. & 1. de diff. febr. quo etiam loco clarius illud confirmauit cùm dixit. §Putredo autem humorum quæ fit in uaſis, ſimilis eſt ei quæ in inflammationibus, atque abſceſſibus,*

ſceſſibus, alijſque phimatibus, ſeu collectionibus. & deinceps eiuſdē putredinis duo narrat genera; quorum unum eſt ſuperante, alterum uerò ſuperata natura. ex quorum permiſtione alia tertia reſultat uaria ſpecies. nam in eo quòd magis aut minus ſuperat, & ſuperatur innumerabiles miſcellæ modi reperiuntur, ut ipſe inquit: id etiam citato lib. 3. de præſag. ex pul. confirmauit cùm dixit, Quòd id quod eſt ueluti cinerittium, non perinde quia craſſum eſt poteſt calor excernere, ſed per inſignes quoſdam meatus educit, hoc in partibus inflammatis pus eſt, in ipſis uaſis ſedimentum urinæ. cùm itaque in nullo alio diſſideant pus et ſedimentum quòd fit humoribus putreſcentibus intra uaſa in ægris corporibus, ut liquet ex his quæ diximus, præterquam in loco: quoniam putredo quæ fit in uaſis, in reliquis omnibus ſimilis eſt putredini quæ fit in inflammationibus, ac cæteris abſceßibus, et collectionibus; ſequitur neceſſariò quòd ſi pus ortū habet ab humore qui ſemimalam habet tranſmutationem, propterea quòd medium obtinet locum, inter eam quæ a ſolo calore naturali, & eam quæ à ſolo calore extra naturam efficitur; cùm utrinſque particeps ſit, non ab uno neque ab altero dumtaxat procedens, ſed ab ambobus: quoniam miſtus eſt quodammodo (ut inquit Gal.) calor inflammationis, quòd pari quoque ratione trāſmutatio quæ fit in humoribus putreſcentibus intra uaſa ex qua ſedimentum generatur, miſta quoque ſit, a naturali, & præter naturam calore procedens; & non a ſolo naturali, ut tu imaginaris. Et quanuis, quemadmodum in puris generatione interdum hæc tranſmutatio fiat natura ſuperante, interdum ſuperata, quandoque partim ſuperante, & partim ſuperata: perpetuò tamen uterque calor concurrit, quoniam perpetuò permiſcetur omnino aliquid præter naturam, vt liquet 1. de diff. feb. & prout unus, uel alter ſuperat, uel ſuperatur, & partim ſuperat, partimve ſuperatur, ita diuerſæ proueniunt ſedimentorum differentiæ in ægris ipſis, ueluti etiam & puris: Quod manifeſtißimè declarauit idem Gale. citato lib. 1. de diff. feb. cùm dixit § Quotcunque uerò in abſceßibus putredinis ſunt differentiæ, totidem & in febribus quæ ex putredine accenduntur, ſunt eorum quæ in urinis apparent formæ. hæc quidem optima, quæ ex putreſcente humore coctionem ſuſcipiente perficitur eſt, quæ album, & lene, & æquale, & minimè fœtidum ſedimentum habet§: vtpotè quæ a naturali calore uincente proueniat: § peßima uerò eſt, quæ in omnibus maximè contraria exiſtit§ Quoniam a præter naturam calore ſuperante efficitur id quod in urina apparet, quæ uerò intermedia exiſtit quātò

propius

propius ad alteram acceſſerit, tantò aut melior, aut deterior erit. ‡ *ex quibus omnibus patere arbitror, quòd clarius a Gal. dici non poterat, quòd humoribus putreſcentibus intra uaſa, ijdem ſemper ab utroque calore, naturali inquam & præternaturam tranſmutentur, quanuis nõ ſemper eodem modo: & quòd quicquid eorum per urinas excernitur, ac in eis apparet, neque a ſolo calore naturali, neq; ab eo dumtaxat qui præternaturam eſt, ſed ab utriſque effectum ſit, in ſanis uerò corporibus, a ſolo calore naturali id efficiatur, quod quidem Clariſs. præceptor meus Altimarus primus omnium poſt Gal. ſuo tractatu de ſedimento di lucidiſs. demonſtrauit; tu uerò mi Ferdinande, & quicunque tuæ huic opinioni ſubſcribunt, & quotquot tibi eam perſuaſerunt, in hoc nedum allucinati eſtis, ſed omnino cæcutire uidemini, ut qui ob propriam prauæ diſpoſitionis ignorantiam, aut ab ingenti liuore obcæcati, parum curantes Galeno ac ueritati contradicere, oppoſitum ſentire ac effutire non erubeſcitis.*

At a ueritate tandem coactus, iterum in pag. 12. admittis in materia hypoſtaſis ægrorum cauſam præternaturam concurrere, uerùm eandem dicis ſimiliter concurrere in materia hypoſtaſis ſanorum corporũ, quia ea non concurrit ut efficiens, et dans formam illius materiæ, ſed eſt ſemper in materia hypoſtaſis tam ſanorum, quam ægrorum, quia ſi non concurreret, ais, conuerteretur in ſanguinem, tamen in ægris maior eſt repugnantia materiæ cùm putrida ſit, & præternaturam magis facta.

Sed præter id quod nihil turpius, nihilque ineptius dici poteſt, ut ſupra demonſtrauimus, dicas quæſo cauſa hæc præternaturam, quæ eſt in materia utriuſque hypoſtaſis, poſtquam non eſt efficiens, ut tibi uidetur, nonne erit neceſſariò ipſa alimenti materia, aut forma? At non materia, quoniam ſi alimenti materia eſſet cauſa præternaturam, eſſet utiq; aliena a natura immutantis & alterantis, nullamque cum ea familiaritatem haberet, id quod de alimentis aſſerere; ac eorum materia, nihil eſſet abſurdius. Nam licet unum alimentum, & una etiam pars alimenti maiorem habeat familiaritatem cum noſtris corporibus quàm aliud, aut altera pars, nullum tamen alimentum, neq; ulla eiuſdem pars, adeo exiguam habebit, ſeu minimam familiaritatem, ſeu potius tantam repugnantiam, ut præternaturam materia dicenda ſit, ob id quòd in ea ſit cauſa præternaturam: eſt enim alimentum quicquid noſtram ſubſtan- ap.1. & 5. *tiam augere poteſt, ut ait Gale. 1. & 5. de ſimpl. medic. fac. in princi-* p.1. *pio, & non alterare ſeu corrumpere, quod quidẽ efficeret ubi cauſa præ-*

ternaturam

ternaturam eſſet, aut in ea contineretur a calore etiam præternaturam & non naturali alterata, & immutata: neque eſt in eadem materia alimenti propter formam eiuſdem, cùm in alimentis ut alimenta ſunt, forma ab eorum proprio ſeù naturali calore, & non eo qui præter naturã eſt introducatur: qua etiam ratione neque erit in utriſque ſimul. Nullo itaque modo hæc tua cauſa præternaturam erit in materia hypoſtaſis ſanorum corporum.

Et cùm ais quòd propter eandem cauſam præternaturã in ſanis corporibus illa alimenti materia ex qua fit hypoſtaſis in ſanguinem non cõuertitur, magis delirare uideris, ac oſtendis manifeſtè te quæ ſcribis non intelligere: nam illa ineptitudo quam habet hæc portio alimenti, non eſt ob cauſam præternaturam in ſanis corporibus, ut tu imaginaris, (ignorans etiam quid ſit) ſed ob minorem quam habet familiaritatem cũ natura immutantis & alterantis ex propria alimenti natura, ut dictũ eſt, in quo ſemper ferè tale aliquid reperitur ut diximus; & propterea in ſanguinem non conuertitur: in ægris uerò corporibus aliter ſe habet: nam in his repugnantia ob quam in ſanguinem non conuertitur, eſt (ut tu met fateris) ob putredinem quam habet, & propterea magis præter naturam effecta. quibus uerbis, ut benè dixi, a ueritate impulſus cogeris, etiam te inuito, fateri quòd concurrat in ægrorum ſedimentis, putreſcentibus intra uaſa humoribus, cauſa præternaturam ut efficiens & dans formam: hæc autem eſt præternaturam, & aliena caliditas. nam ſi per te putrida eſt, & præternaturam magis facta materia hypoſtaſis in ægris corporibus, & putredo ſeù eius forma minimè ab inſito & ſecũdum naturam calore introducatur, ſed ab eo qui alienus & præternaturam eſt, ut liquet nedum ab Ariſt. 4. meth. ſed a Gal. ſexcentis in locis, præſertim 11. meth. & 2. de diff. feb. Negare amplius nõ poteris quòd in hac ſedimenti generatione cauſa præternaturam, hoc eſt præternaturam calor ut efficiens, & dans formam non concurrat, quod huc uſque adeò pertinaciter contendere auſus es. Cogeris inſuper fateri quòd non ſit idem efficiens ſedimenti ſanorum, & ægrorum corporum, neque eſſe eandem materiam utriuſque ſedimenti; ſed ualdè diuerſam. Ad hæc quòd tibiipſi in paucis uerbis contradicas, idque non ob aliud, niſi quia prauè intelligis quæ ſcribis, prauéque fueris a tuis doctoribus inſtructus: nam ſi ſciuiſſent, non utique de eadem re eodem in loco aliâs aliud ſtatuiſſent, & proinde mirandum non eſt ſi & ipſi facilè uelæ uertant, ac ſæpius recantare cogantur, (nunquam autem illi quos tu falſo imaginaris)

locis præcis

*ginaris) & tu quoque tam frequenter tibiĳpſi contradicas, ac tot tan-
taſque in hoc libello ineptias ac nugas ſcribere audeas; ita ut iterum in
eadem etiam pag. huc illucve agitatus ueritatem ignorans dicas. § Con-
cludimus ergo cauſam præternaturam circa hypoſtaſim ægrorum, ſi-
cut in ſanorum ut efficiens non concurrere, etſi concurrit, eadem erit in
ſanorum hypoſtaſi, differre tantùm ſecundum magis & minus, non ta-
men erit ut efficiens. § Verùm neſcio an quiſpiam amplius poſſit tot fer-
re ineptias, ac tot pugnantias, quæ tibiĳpſi ſcribis animaduertere, idque
non ob aliud, ut diximus, quàm quòd quæ ſcribis omnino & tu ignorare
uideris, & qui te eadem docuerunt: Nos uerò ad alia tua errata mani-
feſtanda tranſeamus.*

*Quòd eadem ſit utriuſque ſedimenti forma, omnibus patere ais eadē
pag. ambo enim ſolidarum partium colore donantur, albedine uideli-
cet, ut refers noua profectò philoſophia, ac ſi color eſſet forma ſubſtan
tialis hypoſtaſis, & a colore haberet eſſe, ſed cum ens permanens atque
ſubſtantia ſit hypoſtaſis, non te pudet aſſerere accidens, hoc eſt albedi-
nem, eſſe eius formam? An ignoras ſubſtantiĳs albedinem, ac reliqua
accidentia formam ſubſtantialem comitari, inhærereque enti in actu;
ipſa uerò forma, enti in potentia, & in hoc ab accidentibus formam diſ-
ſidere: quoniam accidens non eſt pars ſubſtantiæ compoſitæ, forma au-
tem eſt pars huius ſubſtantiæ compoſitæ, & ſubiectum accidentis eſt
corpus compoſitum ex materia & forma, ut liquet 2. de anima com. 4.
falſum itaque eſt aſſerere propterea ſedimenta habere eādem formam,
quia eundem habent colorem, nam ſedimentum non eſt ſedimentum per
candidum quem habet colorem, ſed per propriam formā, quæ eſt aliud
ab eius candido colore ſeu albedine, ut a Clariſs. meo præceptore Alti-
maro demonſtratum eſt. Præterea cum neque eundem ſemper habeāt
colorem uniuerſa ſedimenta ſaltem in ægris corporibus, ſed admodum
diuerſum, ut liquet primo de Criſ. & 2. prog. ſequitur neceſſario ex his* (eo citato.)
*quæ dicis quod non habeant eandem formam, ſed ueluti colorem, ita &
formam ualdè diuerſam. Ad hæc quomodo habebunt eandem formā ſi
in ipſis etiam ægris corporibus (ut inquit Gal. primo de diff. feb.) ſedi-
menta diuerſam formam habeant, inquit enim § quotcunque uerò in ab-
ſceſſibus putredinis ſunt differentiæ, totidem & in febribus quæ ex pu-
tredine accenduntur, ſunt eorum quæ in urinis apparent formæ § quan
to itaque magis erunt diuerſæ formæ ſedimētorum ſanorum corporum
ac ægrorum ſi quæ in ægris fiunt, ac in febribus ex putredine accenſis,*

diuerſæ

diuerſæ ſunt? Adde quod cum probatum abundè ſit non eſſe eandem cauſam efficientem ſedimenti in ſanis & ægris, cum in ſanis ſit calor naturalis, in ægris partim naturalis, partim præter naturam: Inſuper quod neque eadem ſit materia, propterea quod in ſanis ſaltem putredine careat, in ægris uerò putredinis eſt particeps, ut tu met non negas, ſequi quitur neceſſario quod non poßit eſſe eadem forma utriuſque, id quod manifeſte infertur ex his quæ de ſedimento ſcripſit doctiß. Altimarus, Qui neque quod eadem ſit forma retulit, ut tu uaticinando fateris: nam quamuis ægrorum ſedimentum optimum in colore admodum ſimile ſit ſanorum ſedimento, tamen non eſt eorum forma color, & in hoc quoq; aliquo pacto diſſidere uidentur, propterea quod formæ diuerſæ, quippè cum in ſanis ſedimentum a natura in ſolidorum corporum colorem ducatur, nihil habens præter naturam permiſtum, in ægris ſemper tale aliquid permiſcetur, quod ipſi repugnat, præſertim ubi humores intra uaſa putreſcant: & propterea quamuis optimum ſit, non tamen adeo exquiſitè candidum erit, ut in ſanis corporibus, quemadmodum de puris, & ſeminis colore definiuit Gal. primo prog. ult. cum dixit. § Ad hæc colorem eius reddi ſimilem ſemini, ratio eſt: candidum uerò, non exquiſita ratione uelut nix eſt: ſemen enim a natura ducitur in ſolidorum corporum colorem exquiſita ratione, modicè pus, ſi quidem ſemen nihil habet præter naturam permiſtum, pus uero non aßiduè par, ut explanatum iam eſt, permiſcetur tamen omnino aliquid. Rurſus quomodo erit eadem forma utriſque ſedimentis, ſi in ſanis eius materia, propterea quod putredinis eſt expers, a naturali dumtaxat calore alteratur, ac tranſmutatur, eiuſq; forma introducitur; in ægris uerò cum pars ſit putreſcentis ſucci. dum putreſcit, a duplici ſiquidem calore eius tranſmutatio procedit. Quamobrem & eius forma, a duplici etiam calore eandem materiam tranſmutante de potentia educitur ad actum, licet unus perficere & aßimilare, alter putrefacere & corrumpere intēdat. erit itaque forma educta de potentia materiæ, per quam hæc hypoſtaſis habet eſſe, & formata eſt, effectus quodammodo partim innati, partim exranei & præter naturam caloris magis, minusve unius aut alterius actionis particeps, prout unus uel alter calor, in tranſmutando eandem materiam ſuperauerit, uel ſuperatur, & propterea nullo modo poterit eadem eſſe cum forma ſedimenti ſanorum corporum, cum efficientia ſint diuerſa, & materia diuerſa. Igitur efformatum ſeu generatum diuerſum erit, ut liquet 8. metaph. com. 11. Nam quamuis

agens non faciat formam per ſe, facit tamen ex alio aliud, hoc eſt ex materia formatum, ut patet 7. meth 27. & 28. & propterea cum in ſanis & ægris formatum ſit diuerſum, & materia diuerſa, erit neceſſario & forma diuerſa, quemadmodum 8. phiſ. ſcriptum eſt 46. Et cum forma (ut inquis) ſit cauſa eſſendi & conſtituendi rem in propria ſpetie, ſequitur quod cum non habeant ſedimenta eandem formam, quod neq; ſint eiuſdem ſpeciei, neque etiam eandem habeant materiam, cuius contrarium probare intendebas, ignorans & quæ ſit forma utriuſque ſedimenti, & quod peius putans eam eſſe albedinem. Quod etiam in pag. 4. dicere non puduit.

Conaris inſuper pag. 13. probare quod idem ſit finis, & auctoritatibus Gal. primo de ſem. ultimo 5. aph. 39. & nonnullis alijs a te citatis locis, etiam in pag. 14. Concludis demum eundem eſſe naturæ finē, qui quidem in omnibus humoribus quos alterat, & concoquit eſt, ut ſibi ipſi aſſimilet, id quod etiam dicendum eſt de hypoſtaſi, quod uaſorum natura propterea eius materiam alterat. quia eam aſſimilare intendit. Res ſanè noua, & tot indigens auctoritatibus; nam cui unquam uel parum erudito in dubium uenerit quod quælibet noſtri corporis pars ſuaptè natura, ſeu ſuo proprio ac naturali calore appropinquantem humorem concoquere ſibique aſſimilare intendit inquantum poterit, eo quod hic ſit finis naturæ, ſeu caloris naturalis ſemper in his quæ alterat, tam in ſanis quam ægris corporibus, licet non adeò exquiſitè fiat aſſimilatio in ægris, quando præter naturam cauſæ particeps eſt, id quod alteratur, & concoquitur. At non propterea dicendum eſt quod idem erit finis ſedimenti ſanorum corporum & ægrorum: nam in ægris, quanuis idem ſemper a natura finis intenditur, quemadmodum in ſanis, (aſſimilatio inquam) tamen quia in huius ſedimenti generatione ſemper (ut dictum eſt) aliquid præter naturam eſt permiſtum, a præter naturam, ſeu alieno calore genitum, cuius finis eſt corrumpere & putreſacere, ac aliena a natura efficere ſibique aſſimilare uniuerſa quæ alterat, ob id non erit idem finis, ſed in ægris ubi intra uaſa humores putreſcant, & a duplici calore tranſmutentur, ut diximus, eorum etiam pars ex qua fit ſedimentum ob duplicem alterabitur finem, quorum unus a calore naturali, alter ab eo qui præter naturam eſt intenditur, & prout unus uel alter ſuperat uel ſuperatur, unus quam alter magis, uel minus, finis adipiſcitur. qua ratione & tot fiunt in ægris corporibus diuerſæ ſedimentorum differentiæ in ſubſtantia ſeu conſiſtentia, colore, &

odore diſſidentes, ob diuerſas uidelicet quas ſuſcipiunt formas, & ob id quoque diuerſos fines, qui propterea erunt quoque diuerſi, qui efficientes diuerſi, materiæ diuerſæ, & formæ quoque diuerſæ. fruſtra itaque laboraſti, in probando quod idem ſit naturæ finis.

Ex quibus omnibus ſole clarius liquet non eſſe eorundem ſedimentorum eundem generationis modum, ut credis in pag. 14. ſed ualdè diuerſum. nam in ſanis a uaſorum natura, eorumque calore naturali alterante dumtaxat, ac quodammodo concoquente et aſſimilante, quicquid in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugit, ſedimentum generatur, cùm aſſimilari omnino nequeat, ac in propriam eorum conuerti ſubſtantiam. At in ægris intra uaſa putreſcentibus ſuccis, a duplici ſemper, ut dictum eſt, calore ijdem alterantur, & transmutantur; & ob id ſedimentum quod quidem eſt eorum pars, modo altero generationem habet, quam in ſanis; quoniam in ſanis ſemper una & eadem eſt materia, ut puta quicquid alimenti ſanguificationem ſubterfugit, ac efficiens unus qui eſt calor naturalis: in ægris uerò neque idem efficiẽs eſt, quia non calor naturalis ſolus, neque eadem materia, ſed diuerſæ ſunt ſedimentorum materiæ pro diuerſa natura humorum putreſcentium; neque etiam ſemper pari ratione, ac modo eodem a duplici calore tranſmutantur, ſed uariæ & diuerſæ, prout unus uel alter calor magis, uel minus ſuperet uel ſuperetur, & proinde magnopere aberras, & toto (ut aiũt) cœlo, cum intendas concludere in hac pag. 14. quod idem ſit generationis modus utriuſque ſedimenti, minimè intelligẽs modum generationis eorundem ac cauſas, ex quibus utrunque ſedimentum generationem habet.

Nec minus falſum eſt quod ais propterea utraque ſedimenta eiuſdẽ eſſe ſpetiei, quoniam idem ſignificant: nam ambo, tam ſanorum quam ægrorum ut refers, dominium, uictoriamque ſuper repugnantem materiam oſtendunt: atq; id confirmas Gal. auctoritate citato lib. primo de morb. vulg. tex. 43. cum dicebat ſ iam ſicut in corporibus ſanis coctionem indicant excrementa, non ſecus in corporibus affectis indicabunt. ſ hac tu in eadem pag. 14. & in principio 16. Sed num in ſanis corporibus ſemper ſedimenta uictoriam, dominiumque ſupra repugnantem materiam oſtendant, breuitati nunc indulgentes, prætermittimus: nam contrarium Gal. ſentire uidetur citato primo de morb. vulg. per uerba immediatè ſequentia ea uerba quæ tu citaſti. Verum quod in ægris falſum ſit, Gal. clariſſimis uerbis demonſtrauit primo de Criſ- cap. 12.

bis uerbis. § Quæ autem bene coloratæ ſunt, & ſubſidentias habent albas & leues & æquales, aut nebulas quaſdam, aut ſuſpenſa ſimilia, omnes urinas bonitate præcellunt, & præſertim in quibus ſubſidentia leuis fuerit. ſecundum bonitatis obtinet locum in quibus ſuſpenſa talia ſunt. Tertium, in quibus nebulæ. hæc igitur coctionis ſigna ſunt, reliqua uerò omnia, partim cruditatem, partim pernitiem portendunt. } Si igitur in ægrorum urinis interim ſedimenta appareant, quæ neque alba ſint, neque leuia, neque æqualia, aut ſaltem aliquod iſtorum adſit, ut in dies etiam obſeruamus, aut nebulæ, ſeu ſuſpenſa eiuſmodi fuerint, quomodo naturæ dominium, & uictoriam indicabunt, ſi cruditatem,
co.cit. & 2. *aut pernitiem portendunt, ut liquet citato loco, & ſecundo prognoſti-*
og.19.& 36 *corum. Præterea eſto quod in ægris, ſimiliter & in ſanis ſedimenta optima appareant, quomodo idem ſignificabunt ſi ſanorum ſedimenta inconfectum, & crudum humorem qui naturæ confectionem ſubterfugit in ſanguinis generatione perpetuò indicant, multum, uel paucum, prout multum uel paucum fuerit id quod in urinis apparet: in ægris uerò oſtendunt qualiter, ac quomodo fuerit ab utriſque caloribus alteratus, ac euictus putreſcens intra uaſa ſuccus qualiſcunque fuerit.*

Quare & ſi in utriſque ſedimentis, hoc etiam poſito, naturæ adſit dominium, non tamen æqualiter, & eodem modo, neque ſuper eandem materiam, ſed admodum diuerſam; qua ratione neque idem ſignificare dicuntur, ſed diuerſa; cum in ſanis id quod naturæ confectionem ſubterfugit in ſanguinis generatione, in confectum ac crudum in ægris putreſcentem intra uaſa ſuccum a natura ſuperatum atque euictum indicet.

Et cum hanc tuam opinionem confirmare tentas citata Gal. auctoritate primo de morb. vulg. in grauiora incidis errata, propterea quod Gal. nolit eo loco docere, quod tam excrementa ſanorum, quam ægrorũ corporum idem ſignificent, hoc eſt naturæ dominium, uictoriamque ſupra repugnantem materiam, ut falsò imaginaris eiuſdem Gal. ſententiã obintelligens: Sed poſita ſimilitudine, ac diſſimilitudine inter concoctionem, & quæ concoquuntur in ſanis ægriſque corporibus; ſtatim ſubdit, quod quemadmodum in corporibus ſanis concoctionem indicant excrementa, non ſecus etiam in ægris, ſeu affectis corporibus indicabunt, ita ut in eo quoque conueniant ambæ concoctiones, quod neque per alia indicabuntur morborum, & quæ in ægris fiunt concoctiones, quam per excrementa, quemadmodum etiam in ſanis corporibus. Dixerat enim Hip. in tex. § maturationes excrementorum & cætera }. Non itaque

dixit

dixit Gal. quod idem ſignificant, ſed quod eodem modo, per excrementa uidelicet, indicatur concoctio in ſanis, ægriſque corporibus, quia nõ per alia quam per excrementa indicari poſſunt utraque concoctiones. Neque etiam ſi idem ſignificarent, illud eſſet naturæ dominium, atque uictoria ſuper repugnantem materiam ſemper, imo quandoque contrarium indicabũt, ut liquet ex his quæ immediatè ſequuntur Gal. uerbis: ait enim, § itaque eorum quæ in uentre concoquuntur deiecta per aluũ excrementa cruditatem & coctionem ex ſua forma arguunt. § & ita de reliquis concludebat excrementis, etiã de his quæ cum urinis excernuntur. Si igitur per eadem excrementa non minus cruditatem quam concoctionem eorum quæ tum in ſanis, tum etiam ægris concoquuntur, arguere ualeamus Gal. auctoritate, quomodo tu dicis dominium ac uictoriam naturæ ſupra repugnantem materiam utraque ſedimenta ſemper oſtendere; & quo pacto illud audeas hac Gal. auctoritate confirmare ſi contrarium ex ea potius concluditur ut dictum eſt? Cum itaque neque materia neque efficiens, neque forma, aut finis; inſuper neque generationis modus idem ſit utriuſque ſedimenti, neque etiam idem ſignificent, ut fuſius demonſtrauimus, Admiror per immortalem Deum, qua mente, quoue conſilio ad hæc ſcribenda acceſſeris; quæ ſi tibi uiuenti dedecori, atque ignominiæ ſunt prodita, quo pacto poſt mortem tibimet, ac te conſulentibus eaque approbantibus gloriæ fore ſperabis? Sed eo magis odio, & pœna dignus es quominus ſcelus ſit, quòd ſolus facias, quam quod cum multis.

Aceruatis tandem tot grauiſſ. erroribus, confeſtim de loco generationis hypoſtaſis eadem pag. 15. non ab re dubitas, præſertim in corporibus ſanis, quomodo fiat ut in uaſis generetur? nec minus etiam, rectè ſatisfacere uideris. Verum neque dubitatio, neque reſponſio tua eſt, ſed mei doctiſſ. præceptoris, ut cuilibet patere poterit; & propterea mirũ non eſt ſi minimè in hoc errore uidearis. Dubitas ſecundo inquiens, ſi humores quandoque omnes ſunt cum ſanguine in uenis, & putreſcentes febres pariunt, ac ubi a natura fuerint euicti, per urinam expelluntur, nonnè ſedimentum hoc erit pars illorum humorum, & nulli dubium quòd ſic. Hæc ſunt quæ ibi habes.

Sed in huius dubij reſponſione animaduertant ſtudioſi, in quot inciderit errores, & quas ſcripſerit nugas temerarius iſte uir. Ait nanque primo in pag. 16. uerum eſſe quandoque cum ſanguine omnes miſceri humores alios, attamen ſanguis ille totus excrementoſus eſt, minimèq;

nutrire,

nutrire, cum naturæ repugnet: fit enim uel naturæ defectu, utpotè intemperata, uel uitio materiæ, ex quo ſanguis ille eſt totus excrementoſus, & ſanioſus, ut 10. de ſimpli. medic. fac. ait Gal. Qui cum naturæ, repugnet, nactus fuit putredinem, cuius partem poſtea natura per urinam expellit, & fit ſedimentum. itaque ſedimentum illud pars eſt alimẽti, quod ſanguificationem refugit, propter aliquam præter naturam cauſam cum nullo pacto perfectam habeat ſanguinis formam, ſed totus dicitur excrementoſus. Hæc ille.

At quod ſemper & non quandoque cum ſanguine omnes miſti ſint humores præter id quod Hipp. toto ferè lib. primo de nat. hum. ſcriptũ reliquerit, & ualidiſſimis rationibus demonſtrauerit, & Gal. quoq; tùm eiſdem rationibus, tum alijs quibuſdam confirmauerit nedum eodem loco, uerum etiam ſecundo de elementis, adeo ut nedum artis medicæ candidatis, ſed lippis, & tonſoribus pateat, duabus etiam eiuſdem Gal. auctoritatibus id confirmari poterit, quarum una eſt lib. de multi. cum ait
p. 1 *§ quippè cum exquiſitus uſque adeo ſanguis in uenis contineri nunquam poſſit, ut nihil in eo nec bilis, nec pituitæ, nec ſeroſæ feratur ſaniei, & dicens quod (nunquam) gloſſari haudquaquam poteſt de quibuſdam ſeu de corporibus ægris ſolis, neque etiam quod nonnihil eorum cum ſanguine tendat potentia, & non actu, ut tu ſtultè, prauè, ac ineptè interpretaris; nam ſtatim ſubdit Gal. eodem loco § Proinde ego ſupra ſiue humores dixiſſem, ſiue ſanguinem redundare, cenſebam, perinde audiendum, cum impromiſcuus nunquam, purusque aliorum humorum ſanguis comprehendatur in uenis. § Qua de re ſi in potentia & non actu alij continentur humores, idem audiendum eſſe haudquaquam poſſet per ſanguinis, & humorum redundantiam; idque clarius oſtendit in ſequentibus uerbis cum dixit § demonſtratum eſt hoc alibi nobis nihil referre humores ac ſanguinem de miſto appelles. § Secunda auctoritas*
p. ult. *eſt eiuſdem Gal. 2. de nat. fac. qui cum propoſuiſſet uelle diſſerere de ſuccorum generatione, ac definiuiſſet modum generationis eorum, retuliſſetque in ſanguine generando duo prouenire excrementa, ac ſtatuiſſet a quibus partibus ea expurgentur, tradidiſſetque differentiam inter illa excrementa naturalia, & reliqua quæ præter naturam ſunt, inquit §Ea uero quæ prædicta ſunt, uſum aliquem naturæ conferunt, & quod craſſum eſt, & quod tenue, purgaturque ab ijs ſanguis, tum per lienem, tum per eam, quæ iocinori ſubeſt, ueſſicam, ac ſeponitur utriuſque partis, tanta taliſq; portio, quanta, qualiſque ſi in totum ferretur animalis*

corpus

corpus, noxam aliquam inferret: quod enim admodum eſt craſſum, & terreum, ac prorſus eam quæ in iocinore fit mutationem ſubterfugit, lien ad ſe trahit; reliquum quod mediocri eſt craßitudine, id & abſolutũ iã eſt, & in omnẽ partem fertur: requirit enim ſanguis in non paucis animalis particulis craſſitudinem quandam æquè arbitror, ut (quæ in ipſo feruntur) fibras, ac dictum quidem de uſu earum etiam a Platone eſt: dicetur autem de ijs & a nobis in illis uoluminibus quibus uſum particularum perſequimur, poſtulat non in poſtremis ſanguis & flauũ ſuccum, qui tamen adhuc igneus ad ultimum effectus non eſt, ac quis illi accedat ad hoc uſus, in illis uoluminibus docebitur. § Deinde de pituita *idem ſubdebat, quod uidelicet cum ſanguine feratur, de qua neq; tu dubitas. Cum itaque hoc in loco de ſanguinis, ac excrementorum, generatione uniuerſaliter & indefinitè loquatur Gal. gloſſari haudquaquam poteſt auctoritas hæc, quod ſcilicet in ægris tantum uerificetur, aut etiam alijs corporibus intemperatis, aut quod de humoribus quantitate peccantibus, temporibus, ætateque calidiſſimis loquatur, cum de qualitate potius, & non quantitate eorundem humorũ uerba faciat. Neque pariter dici poterit voluiſſe prædictos humores in potentia & non actu cum ſanguine ferri, cum loquatur de eorum propria ſubſtãtia quam actu poſſident, quando craßi, & terrei excrementi meminit dicens. § Reliquum quod mediocri eſt craßitudine & abſolutum iam eſt & cætera. § & de tenui, & bilioſo uerba faciens dicebat § poſtulat tum in poſtremis ſanguis, & flauum ſuccum, qui tamen adhuc igneus ad ultimum effectus non eſt. § cum igitur eorundem ſuccorum propriæ ſubſtãtiæ ſemper aliquid cum ſanguine feratur per uniuerſum corpus, quemadmodum etiam & naturalis pituita, ut liquet ex Gal. eundemque præſtent uſum, quem Gal. refert hoc in loco, & libris de uſu par. eo ſolo differentes quod illi qui cum ſanguine per uenas diſtribuuntur, non adeò alieni, & inconfecti ſunt, ueluti qui expurgantur in iocinore;* Etenim *nigra bilis non adeo craſſa & terrea, flaua uerò non adeò exquiſita & ignea exiſtit: reliquum eſt, quod uelis nolis, affirmare cogaris actu, & non potentia tales humores in ſanguine, ſemperque, & non quandoque contineri, ut de pituita admittis.*

Nec minores in labyrinthos incidis, cum inquis quod quando tales humores cum ſanguine miſcentur, ſanguis ille totus eſt excrementoſus, minimeque nutrit, cum naturæ repugnet: nam ubi in menſura quadam mediocri admiſti fuerint cum eodem ſanguine, ut in corporibus etiam

naturali

naturali habitu præditis, tunc uerè ſanguis dicitur, per præpotentiam ſic appellatus: & cum nullus alius ſanguis præter hunc in uenis contineatur, etiam in animalibus naturali habitu præditis, ut liquet lib. de multi. ſequitur quod quilibet ſanguis per ſe eſſet excrementoſus, minimeq; nutriret, cum naturæ repugnet; qua de re nullum corpus ſanguine nutriretur, etiam ſi naturali habitu præditum ſit. non erit itaque excrementoſus totus ſanguis, neque propterea non nutrit, aut naturæ repugnabit, ſi alij humores mediocri quadam menſura, ac ueteri ſeruatâ proportione, cum eo miſti fuerint: imò neque ubi quiſpiam eorum breuem quendam cœperit exceſſum, excrementoſus totus ſanguis erit, & naturæ repugnabit, niſi ualenter preualuerit & cacochimiam efficiat: tunc enim excrementoſus ſanguis dicetur, & minimè nutriet fortaſſe, id quod etiam manifeſtauit Gal. eodem lib. de multit. cum uoluit quod ubi breuem acceſſum quiſpiam humorum cœperit, & ſimul cum copioſo ſanguine redundauerit, ſi iuxta ſanguinem augeatur, adhuc multitudo dicetur, licet non ſimpliciter, ſed cum adiectione: at cum uehementer prævaluerit, ſeu ampliſſimum adipiſcatur exceſſum, tunc non amplius multitudo, ſed cacochimia, ſeu uitium, aut prauitas humorum dicetur. itaque non erit totus ſanguis excrementoſus, neque naturæ pugnabit, neque etiam propterea non nutriet ubi quiſpiam dictorum humorum breuem quoque quendam exceſſum cœperit, & ultra mediocritatem cum ſanguine miſtus fuerit; ſed ubi uehementer prævaluerit, ut dictum eſt.

Ad hæc, ſi cum cæteri humores in ſanguine miſcentur, ſanguis ille eſt excrementoſus, minimèque nutrit, quoniam naturæ repugnat, ut tu inconſideratè enuncias, conſequens eſt quod corpora intemperata, bilioſa, & melancholica natura, adhuc tamen intra ſanitatis latitudinē exiſtentia, non nutrientur; quoniam in horum corporum uenis, ac uniuerſo corpore talis redundat ſanguis, bilioſus inquam ſeu melancholicus, quo etiam nutriri ea ipſa opus eſt. Nec ſatis eſſe credas ſi dixeris quod eiuſdem ſanguinis parte tenuiſſima eadem nutriantur corpora, & quod parciſſimè etiam nutriantur: nam cum uniuerſum eorum corpus, ac ſingulæ partes eiuſdem, hoc ſanguine nutriatur, quanuis fuerit eius pars tenuiſſima; adhuc tamen ſanguis ille bilioſus, ſeu melancholicus erit quo nutriuntur. falſum quoque eſt ſi fatearis hæc corpora parciſſimè nutriri, præſertim ubi dictæ intemperantiæ ſanitatis ſint, & non morbi, & propterea uelut reliqua corpora ſana nutriantur, poterunt

tamen

tamen fortaſſe quæ dicis ueritatem habere in his corporibus, quæ adeò huiuſmodi humoribus referta ſunt, ut cacochima dici poßint, & morbi intemperie intemperata, & non ſanitatis; quod cùm diſtinguere ignora ueris, nil mirum ſi magnopere fueris deceptus, nullum eſſe diſcrimē pu tans, inter hæc corpora, cùm tamen ualdè dißideant, ac in eiſdem quoque corporibus in quibus admodum tales humores præualuerint, uitioſos animaduertimus colores, & non omnibus, ut tu credis, quia non in his, in quibus parum excedunt, ut omnibus eſt in confeſſo.

Neque etiam ſi talis ſanguis fiat uel naturæ defectu, uel uitio materiæ: propterea neceſſariò erit totus excrementoſus, & ſanioſus, ac natura repugnans: nam ubi non fuerit adeò natura imbecilla (hoc eſt corpora intemperata ualdè non ſint) neque materiæ uitium multum, ut propterea uehementer tales humores in ſanguine præualuerint, nec excrementoſus erit uniuerſus hic ſanguis, & ſanioſus, ut falsò opinaris, ſed parum a moderato, & mediocri recedens, quemadmodum diximus de eo qui in corporibus natura bilioſis, ſeù melancholicis generatur, ubi eadem corpora non admodum fuerint intemperata, ſed adhuc ſecundum naturam ſe habeant: etenim ſemper quod ſecundum naturam animalia ſe habent, is qui in uenis continetur reuera ſanguis eſt, & dicitur; in reliquis uerò non eſt reuera, & abſolutè, ſed melancholicus, aut bilioſus, aut pituitoſus, aut ſeroſus ſanguis appellabitur, miſtus ſcilicet ex ſanguine uero, & ſucco, aut ſanie illi permiſta; Gale. auctore 10. *de ſimpl. med. fac. Quam auctoritatem (quis non rideat?) dum putas tuam prauam confirmare opinionem, non ſolùm non confirmas, ſed deſtruis. Credis enim Gal. uelle ſolùm ſanguinem præter alios humores in eo commiſtos, re uera ſanguinem eſſe, ſed non aduertiſti, quòd ſanguinem appellat Gal. cuiuslibet animalis ſecundum naturam habentis, & non eum qui aliorum humorum ſit expers: nanque hunc nunquam in corporibus reperiri decretum reliquerat lib. de multi. ſed re uera ſanguis a Gal. dicitur, ubi quadam mediocri menſura reliqui humores cum eo miſti fuerint, per præualentiam ſanguis appellatus, & non quòd aliorum ſit expers, qui nunquam in uenis reperitur, ut ipſe ait citato loco.* Loco citato *Ad hæc quanuis melancholicus, picrocolus, & ſeroſus ſanguis non ſimpliciter appelletur, neque reuera ſit ſanguis, ſed miſtus cum eiſdem humoribus ut Gal. inquit, non tamen ob id confeſtim dicendus eſt totus excrementoſus ſanioſus, & naturæ repugnans, ſed ſecundum naturam, cùm eadem corpora nutriat, ut demonſtrauimus, quando breuem quendam exceſ-*

ſum, dicti humores cum ſanguine permiſti, cœperint, ueteri quodammodo proportione non ſeruata : neque illud hoc in loco, aut alibi negare uidetur Gal. ut tu falsò opinaris, ſed dixit hunc ſanguinem miſtum eſſe ex ſanguine uero, & ſucco, aut ſanie illi permiſta ; & propterea non ſanguis abſolutè, ſed ſanguis melancholicus, picrocolus, pituitoſus, aut ſeroſus appellandus erit, cùm horum humorum quiſpiam ueterem nō ſeruauerit proportionem . Sed hoc etiam parum curas quòd ſi aliàs Gale. uerba interpretentur, ſaltem tibiÿpſi pugnares, ut qui uelis cum ſanguine pituitam ſaltem ſemper contineri . Qua ratione non minus ſanguis diceretur totus excrementoſus & ſanioſus, ut cæteri quorum hîc Gal. meminit : qui ſanguines miſti ſunt ex ſanguine uero, & ſucco ſeu ſanie illi permiſta, in quorum numero pituitoſum etiam ſanguinem repoſuit; neque etiam ullus daretur reuera ſanguis, ſed quilibet eſſet excremētoſus.

Sed detur pro nunc ſanguinem hunc totum eſſe excrementoſum, minimeque nutrire, & quòd naturæ repugnet, quando cum eo miſcentur humores alij ut tu fateris, qua ratione putredinem nanciſcatur, cuius demum pars craſſa a natura euicta per urinam expellatur, & fiat ſedimētum ; quo pacto aſſerere audes quòd ſedimentum hoc pars eſt illa alimēti, quæ ſanguificationem ſubterfugit, etiamſi perfectam ſanguis hic formam non habeat, ſi ſedimentum genitum ex ea alimenti parte quæ naturæ confectionem ſubterfugit, in ſanguinis generatione ſemper ſit pars illius crudi & inconfecti humoris, qui nedum a cæteris humoribus, uerũ etiam a naturali pituita diſſidet, ut prius declarauimus ; hoc uerò ſedimentum pars eſt excrementoſi illius, ac putrefacti ſanguinis, hoc eſt biliosi, melancholici, pituitoſi, aut ſeroſi exiſtentis, cùm nulla alia ratione etiam, ut tu fateris, excrementoſus dicatur . Puto equidem neq; uno illud perſuaderi poſſe, etiamſi primoribus labÿs dumtaxat, artem medicam guſtauerit ; adeò a ueritate, & Gal. doctrina alienum eſſe uidetur, cùm ex ea alimenti parte quæ naturæ confectionem refugit in ſanguinis generatione, ex qua fit in ſanis corporibus ſedimentum, amplius nec ſanguis, nec aliorum humorum quiſpiam generari ualeat .

Poſtremò, ut nequidem uerbum unum in hac tua reſponſione uerum reperiatur, utque pateat totam erroribus ſcatere, inquis, quaſi eorum quæ dixeras reddens rationem : cùm enim optimè ſe habet corpus, nullumque ſit in facultatibus, uel alimento uitium, perfecta fit ſanguificatio, ſegregatioque humorum, ſanguisque purus cum naturali pituita per uenas meat, nullamque habet actu aliorum ſuccorum miſtionem ;

putans

putans quidem ex his uerbis quòd cæteri humores a ſanguine & naturali pituita uel naturæ defectu, uel alimenti uitio dumtaxat generētur, ubi cum ſanguine actu miſti ſint, quod quidem omnino falſum eſſe demonſtrauimus cum Gal. quando lib. de multitudine dicebat quòd nunquam impromiſcuus puruſque aliorum humorum ſanguis in uenis comprehenditur, etiam in animalibus naturali habitu præditis: quoniam in his etiam reliqui humores omnes in menſura quadam mediocri admiſti ſunt, prævalente tamen eodem ſanguine, & propterea ita appellato. Qua de re non propter naturæ defectum, ſeù corporis intemperaturam, aut ob alimēti uitium, ijdem humores qui cum ſanguine actu miſti ſunt, ſemper generantur, ſed ubi uehementer prævaluerint, & pro ueteri proportione immodicum cœperint exceſſum, propterea quòd quantumuis fuerint temperata corpora, & alimenta uitio careant, ſemper dicti humores cum ſanguine miſti ſunt, ut Gal. uiſum eſt, ita ut homo ſi quod illorum eum deficiat quæ cognata ſunt, uiuere non poſſit, ut inquit Hip. 1. de nat. hum. In cuius textus expoſitione Gal. uult quòd per cognata Hipp. ſanguinem, pituitam, & biles intelligat; & reddens rationem ait, quandoquidem fœtus primam formationem ſeù figuram ex matris eſt ſanguine omnium participe conſequutus, ac incrementum item, nutrimentumque: Sed quid prolixioribus utor pro hac ueritate ſermonibus, quòd uidelicet in corporibus quantumuis temperatiſſ. ſemper ſanguis reliquis alijs humoribus permiſtus ſit, quòdque eos actu & non potentia permiſtos habeat, ſi clariſſ. verbis Gal. citato commento illud decretum reliquit cùm dixit. {Poſteaquam itaq; ipſe indiget ſanguis quatuor qualitatibus, humiditate, ſiccitate, calore, & frigore, nemini dubium eſt quin cum reliquis humoribus poſtulet confundi, quo fit ut temperatiſſ. ſanguis pituitæ ſit, & flauæ atræque bilis particeps}. Confuſus eſt itaque cum reliquis humoribus omnibus etiam temperatiſſ. ſanguis, atque eorundem particeps eſt ut Gal. teſtatur. Igitur neque in optimè ſanis corporibus in quibus etiam perfecta ſit ſanguificatio & ſegregatio, ſanguis a cæteris humoribus purus erit, ſeù eorundem expers, ſed cuncti non potentia, ſed actu in eo miſti erunt. Quamobrem ne dum in hoc loco longè allucinatus es, ſed omnes nugæ, ſeù, ut ita dixerim, filacteriæ, & chimeræ, ſophiſticæque rationes quas in tuo quæſito de ſanguine conſcripſiſti, quibus probare hoc idem nixus es, neceſſariò ruunt, nullaque poſthac de eis ratio ſit habenda, ſed tanquam a Gal. doctrina aliena; omninoque falſa abijcienda, deteſtandaque, ac pœnitus cap. cit. tex. & com.

abolenda erunt; Nam licet & a Farnelio tranſcripſeris, minus etiam rectè eius opinionem percepiſti, ut cuilibet legenti caput eius 8.*lib*.6. *de naturali parte medicinæ patere poteſt.*

*Quæris inſuper eadem pag.*16. *num ſedimentum in ægris ſit pars humoris ſub forma cauſæ coniunctæ uel antecedentis, poſtquam eſt pars humoris facientis febrem, & reſpondendo inquis Arabes non rectè percipere cauſam coniunctam: nam aſſerunt cauſam coniunctam eſſe, qua poſita ponitur morbus, & qua remota remouetur, demum eos impugnas inquiens quòd hæc definitio, contentiuæ cauſæ, & non coniunctæ, competat: differt enim non pa uco diſcrimine coniuncta cauſa a contentiua; quandoquidem cauſa contentiua ponitur in morbi definitione, coniuncta minime: ſed eſt quæ immediatè morbum præcedit, & ſunt in febre putrida putridi uapores, & non humores putreſcentes; ut ipſi dicunt. Hæc tu aduerſus Arabes in principio paginæ* 16.

*Quibus in uerbis non parum cæcutire uideris: nam princeps Arabum Auic. lib.*1.*fen.*2.*doct.*2.*cap.*1.*inquit coniunctas cauſas eſſe cauſas corporales, ex quibus diſpoſitiones corporales proueniunt aduentu primo ſcilicet abſque medio: Dixerat enim prius quòd ſunt diſpoſitioni propinquiores antecedentibus, & quòd inter eas, & diſpoſitionem non eſt medium. Ex quibus Auic. verbis liquet, quòd cauſa coniuncta nõ ſit (ut ipſe fatetur) qua poſita ponitur morbus, & qua remota remouetur; nam poterit eſſe immediata cauſa morbi, & cõiuncta iuxta Auic. ſententiam, & tamen non neceſſariò ſequitur quòd ſi ea remouetur, remoueatur & morbus, cùm ſæpenumero contingat quòd ea remota, morbus adhuc perſiſtat; eſt itaque cauſa coniuncta, ut eidem Arabũ principi uiſum eſt, quæ immediatè diſpoſitionem præcedit, quoniam abſque medio ex ea, præter naturam diſpoſitio prouenit; ut putredo febris; & humor qui ad foramen deſcendit oppilationis, & oppilatio cæcitatis, & non qua poſita ponitur morbus, & qua remota remouetur, iuxta Auic. ſententiam; nam remota putredine ſæpenumero febris remanet.*

Allucinaris inſuper cùm credis eoſdem Arabes malè & ineptè dixiſſe cauſam coniunctam febris putridæ, eſſe putreſcentes humores, ſeù putredinem, eo quòd in febre putrida, coniuncta & immediata cauſa ſunt putridi uapores, & non putridi humores; parum animaduertens quòd putridi illi uapores partes etiam ſint licet tenuiores putridorum humorum, ſeù putredinis quæ in eis conſiſtit: nam ex putreſcentibus humoribus quidam ueluti fumus putridus, ſeù fuligo putrida ad cordis uentri-

culos

culos tendit, licet neque in omnibus febribus ex putredine ortis ueritatem habeat, cùm in quibuſdam ipſa tota putredo in cordis humoribus contineatur: Quare non ob id ſic temerè aſſerendum eſt aduerſus Arabes, ineptè eos poſuiſſe coniunctam, & immediatam cauſam febris putridæ eſſe putredinem, ſeù putridos humores, ſed magis ineptè, inerudite, ac temerè uideris aduerſus eos inſurgere, eorum ſententia parum intellecta: Nam quanuis putrida ſuligo ſeù fumus putridus dumtaxat in quibuſdam febribus ex putredine ortis ad cordis uentriculos perueniat, adhuc tamen putredo coniuncta, & immediata earundem febrium cauſa dicenda erit, ut Auicennæ uiſum eſt; quandoquidem ipſa ſuligo, ac fumus putridus putredinis partes ſunt. Rectè igitur ad eorum ſententiam Arabes poſuerunt putredinem eſſe coniunctam cauſam omnium febriũ ex putredine ortarum: etenim in quibuſdam putredo ipſa in humoribus cordis conſiſtit, ac uaſis ei continuis; in reliquis uerò quanuis putrida ſuligo ſeù fumus putridus ad cordis ſinus perueniat, ſunt etiam & ipſi putreſcentium humorum, ſeù putredinis partes, quæ quidem omnia penitus ignorans, indebitè ac temere Arabes condemnas.

Nec minus aberras cùm dicis quòd ea definitio competit cauſæ contentiuæ, & non coniunctæ: nam ea eſt qua poſita ponitur morbus, & qua remota remouetur, quoniam ingreditur morbi definitionem. Nam licet in libro introductorij, & in eo, qui finitiones medicæ inſcribitur, hoc ſcriptum reperiatur, qui quidem Gal. germani non ſunt, nullibi tamen in eius proprijs libris illud ſcriptum reperitur quòd contentiua cauſa ſit qua poſita ponatur morbus, & qua remota remouetur; ſed lib. 1. de loc. aff. tanquam omnibus notum, uniuerſaliter, & indefinitè de cauſa uerba faciens, dicebat: id enim quo tangente afficimur, & quo ſeparato quieſcit affectus cauſam eſſe, apud omnes homines in confeſſo eſt. Cap. 2 *ſic enim & ignem uſtulationis, & gladium ſectionis cauſam eſſe credimus, atque de ſingulis alijs ſimiliter dicendum eſt. cùm itaque de ſingulis efficientibus cauſis indifferenter loquatur Gal. & non contentiua ſola, nec etiam ſi de contentiua ſolà loqueretur, dicat eam eſſe qua remota remouetur affectus, ſed quòd ea ſeparata quieſcit, hoc eſt amplius non fit, ſequitur neceſſariò quòd non remoueatur, ſed quòd quieſcat affectus quauis afficiente cauſa remota, & non contentiua dumtaxat, ut falsò imaginaris: quanuis neque ſemper remouetur affectus, etiamſi cõtentiua remoueatur cauſa, ſed benè quieſcit, ut diximus: Quapropter neque contentiua cauſa eſt qua poſita ponitur morbus, & qua remota*

remouetur,

remouetur, iuxta Gal. doctrinam, neque etiam eam ingredi in morbi definitione apud eum unquam ſcriptum reperitur; quemadmodum tu falsò exiſtimas.

De qua contentiua cauſa licet nonnulli iuniores Galenici multa conſcripſerint, atque inter ſeſe digladientur, ut tua omnibus pateat ignorãtia, quid ſentiam iuxta Gal. doctrinam breuiter differere uiſum eſt: quãobrem pro hypotheſi id ſtatuimus quòd ſcilicet Gal. idem intelligat per continentem cauſam ſiue contentiuam, ſiue continuam et immediatam,
cap.5. *uel quomodocunque quis eam appellare uoluerit, quod multis in locis manifeſtauit, ſed lucidiſſimè lib. 1. de cauſis ſympt. de hac cauſa ſtuporis immediata uerba faciens, quando dixit: § τὸ μὲν ὁμῶ συνέχον αἴτιον ἢ συνεκτικὸν ἢ προσεχές. ἢ ὅπως αὖτις ὀνομάζειν ἐθέλη § Hæc eadem cauſa citato lib. cùm de anguſtia & amplitudine pupillæ uerba feciſſet, & in alijs etiam plerisque locis ab eodem dicta eſt αἰτια συνεχτική. Secunda hypotheſis ſit quòd ubicunque Gal. de hac cauſa uerba fecerit, & eam continentem, ſiue contentiuam appellauerit ſecundum aliorum opinionem, & non propriam ita nuncupauit, eamque admiſit modò ab ea ali-*
cap 6. *quid fiat, ut liquet lib. aduerſus Iulianum his verbis § diximus porrò alibi quoque de continentibus cauſis, ubi oſtendimus tàm nomen ipſum, quam rem cui impoſitum nomen eſt, ex ſtoica eſſe ſecta, neque rectè recentiores medicos genus hoc totum aut nominaſſe, aut tractaſſe, nosque de nominibus ne contendere uideamur ſecundum eorum ſæpius ſententiam cauſæ quædam ut ſic nominentur concedere, non per Iouem quæ ex ijs quæ abſolutè dicuntur ſint, ſed quæ in generatione ipſa eſſentiam habeant in quo ſophiſmatis conſiſtit explicatio § idem etiam confirma-*
cap.vlt. *uit in fine eiuſdem libri aduerſus Iulianum inquiens § cùm tamen nullam aliam cõtinentis cauſæ afferre rationem poſſit, quàm quòd ab ea aliquid fiat, ac cum ea pariter ceſſet, Inſuper quòd nulla dicatur propriè mor-*
cap.cit.3.te-u com.4. & b. de opt. ſecta p.25.ca.15. *bi cauſa niſi dum facit, liquet ex citata Gal. ſententia lib. 1. de loc. aff. & 3. de rat. uict. in ac. ac lib. de opt. ſecta. cùm dicebat § cauſæ ſunt quæ faciunt § & lib. etiam de conſt. ar. med. cùm inquit § cauſæ igitur potiſſimùm quidem cùm agunt, hac appellatione dignantur: non enim ex ijs quæ abſolutè & ſimpliciter exiſtunt, ſunt cauſæ ut cauſæ, quanquã quarundam, ut internarum habitus ſeu affectus, ex conſtantium, permanen-*
cap.8. *tiumque numero ſint, ut liquet 2. de meth. med. His iactis tanquam firmiſſ. fundamentis aſſerimus in Gal. doctrina cõtinentem cauſam omnino abolendam eſſe ab omnibus præter naturam affectibus tàm factis,*

quàm

quàm fientibus, tanquam ſuperfluam: nam ubi dicto modo ſumatur, & propriè dicta (uidelicet quòd efficiat, & agat cùm interna ſit) ab antecedente cauſa non diſsidebit, cuius proprium eſt morbos præcedere, atque non per ſe aut primùm, ſed ſecundariò & ex accidenti, hoc eſt morbi interuentu actionem labefactare, ut liquet lib. de diff. morborum, & ſympt. & propterea etiam, ſi immediata, adhærens, ſeù continua fuerit, ut putredo febris putridæ, a Gal. antecedens cauſa nuncupatur, ut patet 11. meth. quanuis eandem cauſam 1. de cau. ſympt. ut dictum eſt continentem ſeu contentiuam appellauerit, iuxta aliorum tamen, & nõ propriam ſententiam ita appellans, ut patet per eundem citato lib. aduerſus Iul. Nam iis in locis in quibus ex propria ſentẽtia de morborum cauſis uerba fecit, duplex tantùm genus earum poſuit, externarum inquam, & internarum, quas ſemper antecedentes appellare conſueuit, etiamſi altera, altera ſit affectui propinquior: hac itaque ratione ſi ſumatur cauſa contentiua, re ipſa non diſsidebit ab ea quam Arabes coniunctam appellant; nam ea erit cauſa antecedens, quæ immediatè morbum, antecellit per Galenum quam Auic. coniunctam nominat: neque etiam in morbi definitione ingreditur cùm non ſit de eius eſſentia, ut tu ad pauca reſpiciens tam facilè enuntias: Si uerò maius non efficientem affectum, ſed factum & permanentem per contentiuam cauſam ſubintelligere, ita quòd non ſit ex iis quæ in generatione ipſa, aut motu eſſentiam habent, ſed ex his quæ abſolutè eſſe dicuntur, & hac quoque ratione a Gal. doctrina abiicienda erit, ut qui non actionis læſionem ſed diſpoſitionem ſeù affectum, ſeù cauſam lædẽtem perſe primò functionem, morbum appellauerit ſexcentis in locis, & præſertim citato lib. de diff. ſympt. Quamobrem hoc pacto ſi cauſa continens ſeu contentiua intelligatur, a morbo non diſsidebit, ſed cum eo coincidet, neq; in numero cauſarum uerè, & propriè reponenda eſt, ſed morborum, uelut lucidiſsimè Gal. demonſtrauit lib. 2. de nat. hum. com. 1. cùm dicebat non idem eſt ſi dicas morborum eſſe continentem cauſam repletionem, & uacuationem, ſingulaque inſequentia, atque ex repletione oriri, aut alia ex re: etenim uerum eſt quoſdam morbos, generari ex repletione, uel a repletione, nihil enim intereſt hoc an illo modo loquare: At prauum eſt morbi repletionem cauſam eſſe continentem, nam morbus quidem ipſe, affectio quædam eſt in animantis corpore primò actionem lædens, id quod in lib. de morb. diff. declarauimus. At repletio primò quidem functionem nihil offendit, id quod etiam in lib. de plenit. fecimus planum, uerũ altero

ca.p.7.

ca.1.1. de cau. ſympto. & 11 meth. cap.4.

2. de nat. hum. comm. 1.

altero quopiam intercedente uitio. } Quibus in uerbis clara luce oſtendit Galenus quòd ſi repletio diceretur, uel eſſet cauſa continens, ſeu contentiua morbi, non differret a morbo, quia ut morbus ipſe, per ſe primo functionem offenderet; cùm uerò repletio non per ſe primo functionem offendat, ſequitur quòd non poſſit eſſe cauſa contentiua morbi, ſeu morbus cum idem ſint, ſed ab eadem, ſeu ex eadem fieri morbum quiſpiam dixerit, uelut a cauſa efficiente, quæ cùm interna ſit, antecedens a Gal. ubique locorum appellata eſt: Quamobrem toto etiam cælo aberras cùm ais hanc cauſam contentiuam hoc etiam modo ſumptam, morbi definitionem ingredi & eſſe eam qua poſita ponitur morbus, & qua remota, remouetur, quandoquidem nihil a morbo differt, neq; uerè cauſa dicenda erit, ſed morbus. nugaris inſuper cum ais, eam eſſe qua poſita ponitur morbus, & qua remota remouetur, id quod totum prouenire arbitrandum eſt ex ignorantia cauſæ contentiuæ, & quod peius, ais, propterea cauſa contentiua ignoratur, quia morbi ut plurimum nominantur nomine cauſæ contentiuæ. Quamobrem grande quidem piaculum, & exitiale admodum facinus eſſet in Gal. doctrina cauſam contentiuam ponere in omnibus febribus, & in putridis coniunctam, quemadmodum tu concedis: quoniam, aut cum antecedente coincidet cauſa, aut cum morbo, quomodocunque contentiua cauſa intelligatur, & in putridis febribus coniuncta cauſa, quam Arabes uocant, perpetuò a Gal. antecedens nuncupabitur, quæ omnia breuiſſimis quibuſdam uerbis, ac ueluti oraculo quodam præceptor meus Altimarus, uerus Gal. dilucidator, in ſua arte medica de medendis hum. corp. malis, præſertim in illa aurea methodo declarauit.

Reſpondes demum ad tuum dubium aſſerens ſedimentum eſſe partem humoris actu putridi, & non potentia, ut humorum putridorum, quos ipſi ineptè cauſam coniunctam dicunt: Nos uerò iuxta Gal. normam, inquis, antecedentem appellamus, & non pars cauſæ coniunctæ; quam Gal. immediatam uocat, cum hæc uapores putridi ſint.

Atqui nos quod ſedimentum in ægris non ſemper ſit pars putredinis, ſeu putreſcentis ſucci, quoniam non ſemper ex putreſcentibus ſuccis laborant, ſupra demonſtrauimus: in quo etiam magnopere aberras. Verùm cum iidem humores intra uaſa putreſcunt, quod quidem eorum qui actu putridi ſunt ſedimentum ſit pars, audacter cum Gal. fatemur; At non propterea iidem ſucci dicendi non ſunt cauſa coniuncta febris ex putredine orta iuxta Arabum ſententiam: etenim abſque medio ip-

ſam

ſam efficiunt febrem, cuius rationis eſt apud eoſdem cauſa coniunƐta, ut pauloantè definiuimus: quæ iterum cauſa in Gal. doƐtrina propinqua, antecedens, ac immediata poteſt appellari, propinqua quidem, collatione faƐta ad alias antecedentes remotiores cauſas, immediata quia inter humores putridos, ſeu putredinem ipſam & febrem nulla alia cauſa intercidit, quanuis in quibuſdam febribus ex putredine genitis, fumus putridus, ſeu fuligo putrida, & non uniuerſus humor putridus ad cor perueniat; ſunt etenim & fumus & fuligo partes putredinis & putreſcentis ſucci, ut prius diſſeruimus, & propterea non erunt cauſa diuerſa, ab ea quam coniunƐtam Arabes, & antecedentem Gal. nuncupat; magis tamen propinquam & immediatam quam cæteras antecedentes cauſas quæ putredinem antecellunt, appellabimus. Nec unquam uiſus eſt Gal. immediatam morbi cauſam ex propria ſententia alio nomine appellare, quam antecedentem, neque aliam eſſe ab ea quam Arabes coniunƐtam dicunt, & ipſe quandoque iuxta aliorum ſententiam continentem, ſeu contentiuam, ſeu continuam nuncupat: modò ex numero eorum ſit quæ in generatione ipſa ſeu motu eſſentiam habeant, & non ex ijs quæ abſolutè eſſe dicuntur, ut prius diƐtum eſt. Si quid igitur ineptius dici potuerit, quam id quod in hac tua reſponſione ſcripſiſti, quilibet ſanæ mentis conſideret; nam ſedimentum pars eſt humoris aƐtu putridi quando intra uaſa putreſcat: cùm enim is a natura ſeu naturali calore ſuperatur, quod fumoſum, & fuliginoſum eſt, expiratione, et arteriarũ contraƐtione expellitur: quod uerò ueluti cineritium & craſſum, per inſignes quoſdam meatus educit, & id eſt urinæ ſedimentum, ut liquet 3. de præſag. ex pulſibus, quod quidem ſi hucuſque ignoraueris mi Caſſane, ſaltem agas gratias quòd a me primum didiceris; didiciſſes tamen prius ſi quæ a meo præceptore de his ſcripta ſunt accuratè, & abſque liuore perlegiſſes, atque intellexiſſes. cap. cit.

Dubitas iterum, num ſedimentum eſſe partem humoris putridi ueritatem habeat in intermittentibus febribus, in quibus humores putreſcunt extra uaſa, & priuſquam ex propria ſententia huic dubitationi ſatisfacias in pag. 18. tribus medijs conaris impugnare opinionem dicentium quod in febribus intermittentibus ſedimentum ſit pars humoris ſub forma cauſæ antecedentis, id eſt humoris qui potentia, & non aƐtu putridus eſt, cum hic intra uaſa contineatur, & ſedimentum fiat in uaſis. nam hæc opinio, tuo quidem indicio, ut ais, eſt omnino erronea, & à Gal. mente ualde longinqua.

Sed quam pueriles, ſophiſticæque ſint tuæ rationes, ac quam ineptæ falſaq;,& a Gal.doctrina aliena ſit opinio tua,paſſim demonſtrabimus, ubi prius tuas rationes diluerimus. Prima ergo ratio talis eſt. Gal.ubique fatetur ſedimentum partem eſſe humoris putridi, at cauſa qu m ipſi antecedentem uocant nondum putrida eſt,ſed apta putreſieri, quomodo ergo huius erit pars?

Huic breuiter reſponſum ſit,Gal.ubique locorum fateri ſedimentum in ægris partem eſſe humoris putridi, ubi humores intra uaſa putreſcant,ut liquet primo de diff. feb.& 3.de præſag. ex pul. nunquam tamen aſſeruit quod ſi extra uaſa contingat eos putreſcere, ſedimentum ſit pars humoris actu putridi,neque alibi negare uiſus eſt, quod in his febribus ſedimentum ſit pars humoris intra uaſa contenti qui putridus actu non eſt: quandoquidem ſedimentum in uaſis generatur. erit itaque ſedimentum ſemper pars quædam humoris putridi ubi ijdem intra uaſa putreſcant,non tamen ubi extra uaſa putreſcentes,febrem accendunt,ex Gal.teſtimonio; niſi quandoque contingat,ut fuſius ex Galeno in ſuo de ſedimento in urinis tractatu, doctiſſ. præceptor meus dilucidauit,quod pars quæpiam putreſcentis humoris extra uaſa per urinas expurgetur:etenim tunc quod in ipſis reſidet, quamuis fuerit a uaſorum natura alteratum ac quodammodo aſſimilatum per ea permeans, pars tamen erit humoris putreſcentis extra uaſa, ab eorundem tamen uaſorum natura in ſedimenti formam reditum, quemadmodum etiam interdum euenit quod per renes & ueſicam totum animal, aut quæpiã eius pars expurgetur, & abſceſſus quoque nonnulli medijs uenis, ut liquet 2.prog.com.37. ut plurimum autem pars erit humorum intra uaſa contentorum,qui potentia & non actu putridi ſunt in febribus inter mittentibus.nulla eſt itaque hæc tua prima ratio.

Arguis,ſecundo ſedimenta indicant coctionem humorum morbum facientium,ac naturæ uictoriam ut primo epid. com. 2. At humores actu putridi morbum faciunt,& minimè qui imputridi ſunt,cum iſti facturi morbos ſunt, ergo humorum actu putridorum pars erit, cum iſti uacuationem poſcunt, illi uerò cum apti ſint putreſieri concoctionem, ac ad benignum reductionem uentilationemque,& non uacuationem requirant ut xi. meth.med. Galenus.

Proh pudor,quis unquam credidiſſet medicum quempiam, uel parũ eruditum tam imperite ſcripſiſſe,aut te docuiſſe res medicas,quæ uel tyronibus manifeſta eſſe debent? Nos quod ſedimenta coctionem in mor

bis

bis indicent humorum morbum facientium, ubi a natura euicti fuerint, libenter admittimus, non tamen ſemper naturæ uictoriam, ut demonſtrauimus, uerum cum inquis, At humores actu putridi morbum faciunt, & minimè imputridi, cum iſti facturi ſunt morbos, pace tua dixerim, pœnitus artem medicam ignorare uideris; nam ubi adhuc in corpore nullus fuerit genitus morbus imputridi humores facturi ſunt in futurum morbos, ſi quantitate, aut qualitate peccauerint; ſed ubi quiſpiã genitus iam fuerit morbus ex humoribus ipſis, etiamſi putridi non fuerint, adhuc morbus efficitur, & non futurus eſt, ut tu inquis, quemadmodũ ex his qui actu putridi ſunt: ut uero quiuis illud facilè percipiat, ad Gal. confugiendum eſt, qui 11. meth. in febribus ex putredine ortis, quando eiuſdem putredinis cauſa adhuc in corpore perſiſtat, eã, inquit eſſe prohibitam tranſpirationem, & huius obſtructionem, obſtructionis uero cauſam, uel humorum multitudinem, uel craßitiem, uel lentorem: quamobrem licet immediatè ex putredine ſeu humoribus actu putridis, febris accendatur, tamen & ipſi quoque humores multitudine, craſſitie, aut tenacitate peccantes, ipſam quoque efficiunt febrem, licet actu putridi non ſint, cum & antecedentes quoque cauſas eos appellet, uelut putredinem ipſam lib. 11. meth. quanuis non ita immediatè febrem efficiant, uelut ij qui actu putridi ſunt: nam obſtructionem immediatè efficiunt, & obſtructio probibitam tranſpirationem & probibita tranſpiratio putredinem, & putredo febrem, quare a primo ad ultimum, & ipſi quoque febrem efficiunt, & non facturi ſunt, licet mediatè, immediatè autem obſtructionis cauſa exiſtant: faciunt itaque morbos humores etiam ſi imputridi ſint, & non facturi ſunt, ut tu falſo imaginaris etiam in febribus ex putredine accenſis; quapropter eos prius auferendos eſſe eodem loco iubet Gal. ſuo contrario, & deinceps ad obſtructionem curandam accedere, atque tranſpirabilium retentioni proſpicere, & demum putredinem auferre, ac febrem refrigerare ſeu extinguere, ſiquid eius iam accenſum ſit: nec minus cæcutire uideris cum ais quod humores actu putridi & nõ imputridi uacuationem poſcunt, cum omnibus in confeßo ſit, & a Gal. decretum 11. meth. humorum multitudini, propriè opponi uacuationem, tanquam ſibi contrarium, & glutinoſis & craßis, diſſecationem, extenuationem, & deterſionem, etiam ſi putridi non ſint, quoniam hæc omnia dixit eſſe antecedentium cauſarum febris putridæ contrarietates, quibus auferri debent, priuſquam putredine participent humores: nam his narratis contrarijs, ad inue- cap. 8.

H 2 nienda

nienda contraria obſtructionis, prohibitæ tranſpirationis, humorum putredinis, ut ipſius ultimo loco febris deuenit. requirunt itaque uacuationem humores qui apti ſunt putrefieri, & non ſolum qui actu putridi ſunt: neque etiam eiſdem uentilatio competit, ut fateris, imo contra; nã ea humorum putredini inter cætera ex aduerſo reſpondet, ut inquit Gal. citato loco, & non humoribus qui apti ſunt putreſcere: neque ſolũ concoctio humoribus, qui apti ſunt putrefieri competit, uerumetiam & humoribus putreſcentibus; nam inter cætera citato loco Gal. humorũ putredini, ſemiputridove concoctionem ex aduerſo reſpondere, ait: ſimiliter etiam eodem lib. paulò ante decreuerat putredinem in noſtro corpore conceptam ſanari debere ijs quæ tum alterare, tum concoquere poſſunt, tum utile reddere quicquid putreſcentium, ueluti ſemiputreſcens, ſemimalumque eſt ex quibus etiam uerbis clara luce patet ad benignum reductionem (ut inquis) non ſolum requirere humores qui apti ſunt putrefieri, ſed etiam putreſcentes, modo ſemiputreſcentes ſint, & ſemimali, ut Gal. fatetur.

Porrò non adeò culpandus eſſes, ſi ignorans ueritatem in tot incideris errores, ſed maiori indiges pœna cum hac Gal. aſcribas quæ nũquã ſomniare uiſus eſt. Adhæc ſi per te humoribus qui apti ſunt putrefieri concoctio competit, & ſedimenti generatio in ægris ſit quodammodo concoctio, ut liquet primo de diff. feb. potiſſimum ubi fiat natura ſuperante, neque etiam tu id negare uideris. ſequitur quod ſedimentũ ſit eorum humorum pars qui concoquuntur, & ſuperantur a natura; ſed hi ſunt qui apti ſunt putrefieri per te, non actu putridi: ergo eorum coctionem indicabunt, & non humorum actu putridorum, potiſſimum cum illi, & non hi qui actu putridi ſunt, in uenis contineantur in intermittentibus febribus. Cum autem tot grauiſſimos in hac tua ſecunda ratione animaduerterimus errores, eidem ſic ſatisfacimus, quod uerum eſt ſedimenta coctionem indicare humorum morbum facientium; At cum inquis quod humores actu putridi morbum faciunt, & minimè qui imputridi ſunt, illud omnino negatur, cum & hi quoque morbum efficiant ut demonſtrauimus, & in febribus ex putredine ortis, ſunt earum antecedentes cauſæ, ubi multitudine, craſſitie, uel lentore peccabunt, & obſtructionem pariant, ut liquet 11. meth. & propterea ubi co cit.
ijdem humores intra uaſa contineantur, & qui putreſcunt extra, eorum & non putreſcentium actu, partes erunt, ſedimenta, concoctionem potius indicabunt. Nullius itaque momenti, & ſophiſtica eſt hæc tua ſecunda

eunda ratio, & tot erroribus, quos notauimus, plena.

Tertia ratio in eadem pag. 18. hæc eſt. Præterea hac eorum opinione Gal. diminutum faciunt, quando quidem primo de diff. feb. dicit ſedimentum eſſe partem humoris putridi in febribus, nondum tamen diuiſerat febres in continuas & intermittentes, quod fieri debebat ſi uera eſſet eorum opinio, & ſic rem indeterminatam non relinquere; At hoc de Gal. minimè ſentiendum, ergo eorum ſententia falſa. Sed heus cauillator optime Gal. primo de diff. feb. non indefinitè dixit ut tu temerè fateris ſedimentum partem eſſe humoris putridi in febribus, ſed in continuis cum humores intra uaſa putreſcant: etenim inquit § humorum autem putredo quæ fit in uaſis, ſimilis eſt ei quæ in inflammationibus atque abſceſſibus alijſque collectionibus § poſtpauca ſubdit § & ſuperante quidem ſicut in inflammationibus, & ſimilibus phimatoſis tumoribus omnibus pus, in humoribus uero qui in uenis, atque arterijs continentur, quoddam quod puri proportione reſpondet, in urinis ſubſidēs. § ecce quod de humoribus putridis, qui in uenis atque arterijs continentur, & non de ijs qui extra uaſa putreſcunt uerba facit Gal. horumque inquit ſedimentum fieri uelut pus in inflammationibus, aliisq; abſceſſibus ſuperante natura, & non eorum qui extra uenas putredinem naneiſcūtur. quo fit ut neq; hoc indeterminatum reliquerit, ſed exactè definiuerit; nam cum determinaſſet ſedimentum fieri ex humoribus intra uaſa contentis ac putreſcentibus, neceſſariò infertur quòd ſi extra uaſa putreſcant, eorum non ſit pars ſedimentum, cum illud fiat à uaſorum natura ſuperante, atque ab eorum concoctrice facultate, ut ipſe inquit eodē loco, & cum dicis quòd non diuiſerat Gal. febres in continuas, & intermittentes, quod fieri debeat ſi uera eſſet eorum opinio, uideris admodum pueriliter inſtare: Nam quam neceſſitatem Gal. imponebat hæc diuiſio prius facta quàm de ſedimentis decerneret, poſtquàm eodem loco determinauit ſedimentum eſſe partem humorum putridorum intra uaſa contentorum proportione puri reſpondens: cœperat enim eius ſermo de febribus genitis ex inguinum tumoribus & his quæ fiunt ex putredine humoris in aliquo uiſcere, aut in cauis & maximis uaſis, & cum declaraſſet diuerſum modum generationis earundem, recenſuiſſetq; diuerſitatis cauſas, ac iumentorum, columbarumq; exemplo excrementorum cōfirmaſſet, ſtatim aggreditur declarare ſimilitudinem putredinis quæ fit in uaſis, cum ea quæ fit in inflammationibus, atque alijs tumoribus: etenim de his erat eius ſermo, & non de intermittentibus; & ob id ſimilitu

dinem

dinem quoque enarrauit quæ eſt inter pus genitum ex humoribus putreſcentibus in inflammationibus, & ſedimentum genitum ex humoribus putridis intra uaſa contentis: Itaque negare non poteris ex his quæ hic fateris quàm parum fueris in Gale. doctrina exercitatus, nec non & ſub prauis ſectis altus. Diluitur ergo hæc puerilis ratio tua, quoniam Gal. non abſolutè dixit ſedimentum eſſe partem humoris putridi in febribus, ut tu falſo citas, ſed humorum putridorum intra uaſa: nam de his erat ei ſermo, nec opus fuerat diuiſiſſe prius febres in continuas, & intermittentes, ut opinaris, neque etiam propterea indeterminatã hanc rem de ſedimento dereliquit: quinimò cum exactè definiuiſſet de humoribus intra uaſa putreſcentibus, quod uidelicet eorum ſedimentum ſit pars, haud ægrè cuilibet patere poterat quid ſentiendum eſſet ſi dicti humores intra uaſa non putreſcant ut diximus. meminerat inſuper prius poſito exemplo excrementorum columbarum, & iumentorum, & ipſarum febrium intermittentium, cum illud applicaſſet ſingulis febribus per circuitum inuadentibus, tam quotidianis quam tertianis quam quartanis ſeu quintanis, ſi modo febris quintana exiſtat. Ruunt itaque ſophiſticæ ac pueriles iſtæ tuæ rationes omnes, & propterea perpetuo uerum eſt, eritq; eorum ſententia qui cum Gal. ſtatuerunt, ſedimentum in febribus intermittentibus eſſe partem humorum qui non actu putridi ſunt, quoniam iſti intra uaſa continentur, & non eorũ qui extra, & actu putridi ſunt, quanquam nòn rarò contingat & horum quoque partẽ quampiam per urinas expurgari, & ita quod in urinis ſubſidet, eorundem quoque pars erit in tranſitu per uenas ab eis quodammodo alterata, & in ſedimenti forma redacta, quemadmodum a clariſſimo Altimaro dilucidatum eſt.

Conſcriptis tandem his ſophiſticis ac puerilibus rationibus in eadem pag. 18. inquis aliter tuo iudicio ad dubium eſſe dicendum, nec a Gale. latum unguem, diſcedens uidelicet hypoſtaſim tam continuare uno quã intermittentium febrium partem fore humoris actu putridi. At cum in continuis nullus dubitet, nulla egemus probatione, in interpellatis autem, cum & intra uaſa putreſcant humores, illorum pars erit: quod intra uaſa putreſcant, proponis, & Gal. auctoritatibus, & rationibus probare.

Quibus in uerbis tui met immemor, a ueritate tamen coactus, admittis ſedimentum in febribus ex putredine accenſis eſſe partem humoris actu putridi quod quidem contentioſe admodum prius negare conatus

tus eras, uolens omnino quod in his etiam corporibus ueluti in ſanis, ſedimentum ſit pars eius alimenti, quod in ſanguinis generatione naturæ refugit coctionem; reliqua uerò num uera ſint, paſſim demonſtrabimus.

Niteris tuam hanc monſtruoſam opinionem Gal. auctoritatibus, a te tamen prauè intellectis, confirmare: nam ſi eiuſdem Gale. ſcripta intimius perpendiſſes, neque ita perditè in tuam ſententiam detorquere uoluiſſes, utique auſus non eſſes tot nugas ac ineptias ſcribere. Eſt autem prima Gal. auctoritas quam citas citata pag. 19. ſecundo de Criſ. cap. 3. cum dicebat § In alijs uero adurentibus febribus quæ nullam habent intermiſſionem flaua bilis humor in uaſis una cum ſanguine contineri oſtendebamus, & cætera. § Quo in loco, ut tu inquis, declarans Gal. conuenientiam & differentiam tertianarum febrium a continuis, dicit has febres in humore conuenire, diſcrepare uerò quia in continuis humor putridus continetur intra uaſa, in intermittentibus expellitur extra uenas, & deinceps conſcripta hac Gal. auctoritate inquis, quod ex Gal. uerbis tua mens clarè patet, cum dicat humorem putridum in continuis contineri intra uenas, in intermittentibus uero non contineri, ſed propter motus uehementiam diſſeminari per corporis partes: dicit contineri, quaſi diceret humores putreſcunt intra uaſa, ibique contineri in continuis: in intermittentibus uero, putrefieri, ſed non contineri, quâ propter uehementem humorum motum, natura tranſmittit ad partes corporis, & carnoſo generi.

Sed mi Ferdinãde, quæ te dementia cœpit quòd te delirare, & inſanire non aduertis? Nam quomodo infers primo ex his Gal. uerbis tertianas intermittentes a continuis diſcrepare, quia in continuis humor putridus continetur intra uaſa, in intermittentibus expellitur extra uenas, hæc inquam uerba § quod expellitur extra uenas § profectò in his Gal. verbis non leguntur, ſed tu ita interpretaris, propterea quòd dicat contineri in continuis, perinde ac magnum fuerit diſcrimen inter contineri, eſſe, & deferri humores intra uaſa, cum Gal. ſexcentis in locis, & præſertim citato lib. 2. de criſibus, eiſdem uocibus indifferenter utatur: in intermittentibus uerò non contineri, ſed propter motus uehemẽtiam diſſeminari per corporis partes, quod quidem intelligendum eſt, ut tu inquis, humores putreſcere intra uaſa, ibique contineri in continuis; in intermittentibus putrefieri intra uaſa, ſed non contineri: quia propter uehementem humoris motum, natura tranſmittit ad corporis partes &

carnoſo

carnoſo generi: Pulchra ſiquidem expoſitio, iudicio tuo, ſed ualdè ab his Gal. uerbis eiusque ſententia ac ueritate aliena: Nam priusquam hæc ſcripſiſſet Gal. citato etiam loco, cum de cauſis loquutus eſſet bilioſas febres generantibus, quæ quidem communes erant tertianis & adurentibus febribus, dicebat: § ſed & hoc ita ſe habere uidetur, & ipſa tertianæ acceſſio ab acutiſsimis, maximeque adurentibus febribus nullo modo relinquitur, ſed hoc differt, quòd in hac per totum corpus bilis deferatur, atque ideo uehemens fit rigor, bilisque ſuperuenit uomitus, urinæque ac ſudores bilioſi ſunt. dictum uerò de his alibi eſt. § & deinceps ſubdidit § in alijs uerò adurentibus febribus quæ nullam habent intermiſsionem flauæ bilis humor in uaſis una cum ſanguine contineri oſtendebatur. § Quomodo itaque Gal. dicta interpretari poterunt, quòd ſemper humores intra uaſa putreſcant, ſed in continuis ibi detineri, in intermittentibus uerò putrefieri ſed non contineri, quia propter uehementem humoris motum (ut tu fateris) natura tranſmittit ad partes corporis, & carnoſo generi; ſi priusquam de continuis & adurentibus febribus uerba feciſſet Galenus modum generationis tertianæ docuit, & eſt quòd in ea flauæ bilis humor per totum corpus deferatur (& non quòd prius in uenis putreſcat, & deinceps ad carnoſum genus a natura tranſmittatur) ut tu falsò interpretaris, neque etiam propter uehementem humoris motum, ut arbitraris, ſemper a uaſis tranſmittitur bilis ad reliquas corporis partes: nam hic uehemẽs motus in tertianis ab ipſa bile fit delata per carnoſum genus, & ſentientes corporis partes, atque ideo in eis uehemens fit rigor, & non per uenas ut tu credis, ita quòd hic præcedat ſemper uehemens motus in uenis priusquam bilis ad carnoſum genus perueniat, propter quem natura tranſmittat ad partes corporis, & carnoſo generi, niſi contingat quandoque hoc modo adurentes febres iudicari, quemadmodum Hippo. docuit aph. 58. quarti lib. diſſeminantur, itaque per ſingulas corporis partes putridi humores in intermittentibus, atque uehementi motu deferũtur, propterea quòd ſtimulant, pungunt, ac feriunt corpora ſentientia, per quæ uiolenter delati, etiam ſenſum, inæqualem, rigorem, concuſſumque inuehunt, ut poſt pauca citato loco inquit Gal. & non quia propter uehementem eorundem putreſcentium humorum motum intra uaſa natura ſtimulata tranſmittit ad corporis partes, & carnoſo generi: Neque etiam eodem loco Gal. uoluit in continuis propterea intra uaſa contineri, & ibi retineri putreſcentes ſuccos quia non mouentur; in intermittentibus

mittentibus uerò non detineri propterea quòd uehementiori motu moueantur, & ob id natura tranſmittat ad partes corporis, ut tu ſophiſticè quæris interpretari; nam eodem lib. 2. de criſ. poſt a te citatam ſententiam idem Gal. dicebat {nam quæ ad inſebricitationem deſinunt, febres tertianæ, quartanæ & quotidianæ eandem hypotheſim cum continuis de quibus diximus, habent; uno ſolo differentes quòd per uenas, uel per totum corpus in eis deferuntur humores. ex quibus uerbis liquet quòd non per contineri, ſeu retineri, & per putrefieri, & non contineri ob motus uehementiam, differunt ab intermittentibus continuæ febres, ut tu falsò credis, cùm in utriſque deferantur humores, ſed diſſident, quia in continuis per uenas, in intermittentibus per uniuerſum corpus putreſcentes deferuntur humores; & propterea loco tantùm, ut Gal. inquit ſexcentis in locis. Deliras inſuper cũ arbitraris ex hac Gal. ſententia concludere, quòd in intermittentibus humores putreſcant intra uaſa, ſed non contineantur; cum quodlibet aliud præter hoc facilius ex eius uerbis poſſit inferri.

Similiter allucinaris cum tuam hanc opinionem confirmare tentas ex altera Gal. auctoritate 2. de cauſis ſympt. cap. 5. nam uolens eodem loco Gal. cauſam reddere cur ſi excrementa moueantur, corpora magis doleant quam cum quieſcunt, declarat prius non eſſe diſputationem de ſuccis qui in uenis & arterijs fluunt, ſed de his qui in carnibus ſunt, & toto corporis habitu: nam quoties aliquid per hæc uiolenter agitur, & ad cutim defertur, neceſſe eſt dum carnem, cutimque permeat omnia in quæ incidit, pungat, ſtimulet, diuidat, ac uulneret, ſiue calida, ſiue frigida cauſa fuerit; & proinde animal in horrorem ac rigorem ducit; nec non poſito inter cætera tertianæ exemplo, in qua quanto ſincerior fuerit, tanto rigor erit uehementior, confeſtim ait {quinetiam eum qui ardẽti febre laborat, rigor ſuperueniens a morbo liberat, ut ait Hipp. aph. 58. quarti libri. & demum ſubdit {quoniam ſcilicet bilis quæ prius in uenis errabat a natura decretoriè per carnes ad cutim truditur} quibus ex uerbis ſole clarius liquet Gal. affirmare quòd in tertianis, ſucci in toto corporis habitu & carnibus ſunt, & non in uenis, in quibus prius putreſcunt, ut tu delirando fateris; nec non quòd quoties per hæc, & non per uaſa uiolenter mouentur humores, tertianæ generantur, atque aliæ etiam intermittentes febres; & propterea horrores, & rigores fiunt; contingit tamen aliquando quòd cum in uenis uehementius bilis agitetur, ac ueluti efferueſcat, eamque euincat natura quòd expellatur ab

ea,& decretoriè per carnes ad cutim trudatur, & ita rigor fiat Hipp. & Gal. teſtibus. At non propterea dicendum erit quòd in intermittentibus febribus, humores ſemper intra uaſa puteſcant, ut tu neſcio qua cogitatione ductus, falſo arbitraris; nam in hoc Hipp. caſu ardentem & continuam accendebat febrem bilis, toto eo tempore quo continebatur, & in uenis errabat: demum uero a natura ſuperata per carnes decretoriè ad cutim fuit excreta. ut autem tertiana fiat febris, opus non eſt quod ardens & continua prius fuerit genita, quinimò hoc perquam rariſſimè accidit: ſæpe numero uero obſeruamus eam a principio generari abſque eo quod ardens & continua præcedat, & propterea opus non eſt ut bilis intra uaſa putreſcat, ſed in carnibus, & toto corporis habitu, cum in eis, & non in uaſis ſucci ſint in intermittentibus febribus, ut dictum eſt.

Cùm uerò ais in pag. 20. quòd hoc clarius manifeſtat 9. meth. cap. 5. Gal. in primis uerbis dicens, ſi materia in omnibus uaſis magnis putreſcit, continua excitatur febris, ſi uerò in unica parte, intermittens. Et deinde exclamans, inquis, quid hoc clarius declarauit Galenus? quo ergo iſti aſſerunt in intermittentibus humorem extra uenas putrefieri & carnoſo genere, cùm Gal. apertè dicat intra uenas, ſed non uaſa magna, ſed unica parte putrefieri?

Mirabor ego ſanè, ſi poſthac coram hominibus uel parum eruditis, ne dicam eruditiſſimis amplius alloqui, aut uideri audeas; poſtquam Gal. ſententias obintelligens, ſemper eius uerba peruertis & falsò citas: erat enim Gal. inſtitutum citato loco diſſerere de febribus quæ ex ſtipatis per obſtructionem meatibus oriuntur; quas dixit ſi ſine putredine conſiſtant ex diariarum eſſe numero, poſt quæ inquit ſin ijs putredo aliqua, uel ab initio ſtatim, uel poſtmodum ſuperueniat in omnibus quidem uenis, & præſertim magnis, ipſa conſiſtente continentes generantur febres, & non dixit continuæ, ut tu falsò dicis συνόχους, & non συνεχεῖς eas appellans, & ſubdit ſin una autem parte animalis acceſſiones ſecundum circuitum quendam, & non dixit, ſi uerò in unica parte, quòd ſit intermittens, ut tu prauè citas, ait enim ἐν ἑνὶ δὲ μορίῳ τὸν ζῶντους κατὰ περίοδον τινα παροξυσμούς: Nam febres quæ ad ſenſibilem infebricitationem perueniunt quam ἀπυρεξίαν Gal. nominat, ab eodem διαλείποντες, appellantur, nos intermittentes dicimus, qua uoce haudquaquam uſus eſt hic Gal. uult itaque hoc in loco quòd ſi febres oriantur ex ſtipatis per obſtructionem meatibus, ſi ſine putredine cõſiſtant,

ſunt

ſunt ex diariarum numero, ſi uerò putredo ſuperueniat, aut ea conſiſtit in omnibus uenis, & præſertim magnis, & ita febris generatur cõtinens, & non continua dicta, quæ a principio ad finem uſque unicam habet acceſſionem, aut eadem putredo in una parte conſiſtet, hoc eſt in particularibus quibuſdam uaſis, atque eis non magnis, & ita quanuis febris genita erit continua, habebit tamen acceſſiones ſecundum circuitum quendam pro diuerſitate redundantis ſucci. Et quoniam non de his febribus, ſed de eis quæ unam tantùm a principio ad finem uſque acceſſionem habent (quas continentes appellauit) propoſuerat uelle diſſerere, ſtatim ſubdidit quòd de alijs poſterius dicturus erat. Qua igitur ratione infers ex his Gal. uerbis, & aduerſus eruditiſs. uiros exclamãs temerè fateris quòd hic Gal. clarius manifeſtat in intermittentibus, humores intra uaſa putreſcere, & non extra uenas, & in carnoſo genere, ſi de intermittentibus citato loco Gal. uerba non faciat, ſed de continuis quæ plures acceſſiones habent ut diſtinguat ab eis quæ unã dũtaxat habent a principio ad finem uſque acceſſionem, non continuæ, ſed continẽtes appellatæ, ut liquet eodem lib. 9. meth. Non igitur intermittentium febrium hoc loco meminit Gal. neque aſſeruit in eis humores intra uaſa putreſcere, ut tu prauè eius uerba, ac ſententiam intelligens peruertere conaris, quod & cæcutientibus ipſis clarè patere poteſt.

Quid denique dicam de apho. 59. 4. libri? in quo fateris Gal. eandem tuam falſiſſimam opinionem confirmare, cùm totum oppoſitum apertè dicat? Inquis tu quòd in eodem aph. declarans Gal. differentiam inter eaſdem febres, ſcilicet ardentem & tertianam exquiſitam, dicit eas differre penes hoc, quia humore minimè diſcrepant & cætera. Sed, Dij boni, quis adeò ignarus et expers erit artis medicæ & Gal. doctrinæ, qui luce clarius non percipiat hoc in loco Gal. omnino contrarium ſentire? ait enim § tertiana febris, ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente non differt; utraque enim ex flaua bile fit. differunt autem quoniam febris ardens habet in uenis unà cum ſanguine flauam bilem ſuperabundantem & ebullientem, tertiana uero eandem flauam bilem habet in toto corpore euntem ac motam § & ſubdit § exquiſita igitur tertiana erit quæ ſuam naturam ſeruat puram, atque ſinceram, ſeruat autem ubi flauam bilem habeat ſuperabundantem ut dixi; ac motam: habet enim græca lectio πλεονεκτοῦσαν καὶ κινουμένην. *Communicant igitur inter ſe tertiana & febris ardens in humore eas faciente; ſed diſſident: quoniam febris ardens eandem bilem habet in uenis una cũ ſanguine ſuperabun-*

dantem, tertiana uerò in toto corpore. Quamobrem ſi in toto corpore, & non in uenis habet tertiana bilem ſuperabundantem ac motam, & in hoc differt ab ardente, ut Gal. apertè teſtatur; quomodo quiſpiam fateri audebit Gal. uelle quòd ea prius in uenis putreſcat, & deinde tempore inſultus natura eam expellat ad carnoſas partes, ut tu falsò imponis, poſtquam idem Gal. ait eam haberi, ac ſuperabundare in toto corpore, in quo cum habeatur, ac ſuperabundet, conſentaneum quoque rationi eſt quòd putreſcat, & non intra uenas ut tu delirando putas? Inquiens itaque Gal. quòd humore communicant febris ardens, & tertiana, & quòd loco differunt, quemadmodum ſexcentis alijs in locis ſcriptum reliquit, excludit hanc tuam conuenientiam neceſſariò: quòd uidelicet in utriſque humor putreſcat intra uaſa, eoque magis cum hoc in loco clariſsimis uerbis definiat in ardentibus febribus in uenis plurimã haberi flauam bilem, et propterea in eis quoq; putrefieri cenſendum eſt, in tertianis haberi ac ſuperabundare in toto corpore, in quo etiam putreſcere, nemo ſanæ mentis negare audebit. nam ſi propterea in ardentibus putreſcit intra uaſa, quia in eis plurima habetur flaua bilis, pariter & in tertianis, quia plurima habetur in toto corpore bilis, in eodem corpore & non in uenis putreſcere, proculdubio aſſerendum eſt, cum ſatis a ueritate alienum eſſe uideatur quòd in uno loco habeatur & ſuperabũdet, & in altero putreſcat.

Deſtitutus tandem Gal. auctoritatibus, ad rationes deuenis (quamuis & opinio & rationes ſint Argenterij; quare prima eſt: Pluries uidimus febres intermittentes uomitu, uel alui deiectione terminari humore petente uentriculum. qui humor ſi in carnoſo genere erat, quomodo per uenas uentriculum petijt, & non ſudore & halitu terminatur, cũ citius, facilius, & commodius fieri potuerit, perinde ac graue nephas ſit totum corpus, aut unam, aut duas, aut tres eiuſdẽ partes per uenas quandoque ac uentrem expurgari, cum iecur non ſolum ſua ipſius excremen ta ſaniemque & humores præter naturam demittit in uentrem, ſed etiã corporis totius. Quandoquidem uenter per id omnibus corporis partibus copulatur, ac per illud recipit excrementa earum Gal. teſte 2. prog. & lib. 1. de mor. vulg. comm. 2. non ſemel ſcripſit, non raro uniuerſum corpus per uentrem repurgari, & item quoque per renes & ueſſicam, libero quidem exiſtente ab affectu, ipſo uentre, renibus, & ueſſica. Qua de re facillimè poterunt intermittentes febres uomitu, uel alui deiectione terminari humore petente uentriculum, etiamſi in toto corpore &

gn. comm. 1. de mor. commẽ. 2. tex. 7.

carnoſo

carnoſo genere redundauerit, iſque a natura expellitur per eaſdem uias quando utpote quæ conuenientiores ei fuerint. Quanuis hoc tibi qui parum Hipp. & Gal. doctrinam olfeciſti mirum quoddam uideatur hoc in loco, ſed a ueritate coactus parum curans quòd tibimet pugnes, illud affirmas in principio pag. 24. ſoluuntur etiam non raro dictæ intermittentes ſebres, per ſudores, & halitus.

Sed pone id haudquaquã fieri poſſe, quemadmodum tibi uiſum eſt, non aduertis quòd uelut turdus tibiipſi mortem cacas? Nam quanuis uelis in intermittentibus febribus humores intra uaſa putreſieri, inquis tamen quòd tempore inſultus, natura eos expellit, ac tranſmittit ad partes corporis extraneas, & carnoſo generi, ergo illud idem tibi quoque inconueniens fiet: nam quomodo & qua uia poſtea uentriculum petant, quando dictæ intermittentes febres uomitu aut alui deiectione terminãtur, aut quo pacto dictorum humorum putridorum pars craſſa per urinas excerneretur, potiſſimum cum dicti humores non prius expellantur ab ipſa natura, quam eos ſuperauerit; id quod non in acceſſionum principio, ſed earum rigore contingit, ut liquet in Gal. doctrina ſexcentis in locis, & præſertim 3. de præſag. ex pul. & 2. de diff. feb. Quare ſi uel minimi eſſet momenti hæc ratio, aduerſus te concluderet, id quod tuam ob impudentiam parum curaſti, quanuis in pag. 24. in principio contrarium ſentias, ut qui omnino ueritatem fateri coactus fueris. *locis cit.*

Secunda ratio ex prius dictis facilè ſoluitur; nam inſpiciendæ ſunt urinæ, etiam in intermittentibus febribus quanuis humores extra uaſa putreſcant, quandoquidẽ aut humores qui adhuc actu putridi non ſunt; ſed parati putreſcere, in uenis continentur, quod ſæpius accidit, & ita eorum coctionem uel cruditatem indicabunt, cum iis præcipuè humoribus, (temet annuente in pag. 18.) concoctio competat qui apti ſunt putreſieri, quoniam materiam ipſam indicant, quæ ad putredinem iam declinauerat, etiamſi adhuc non computruiſſet, ut quorundam auctoritate ſcriptum reliquit Tral. cap. 2. lib. 12. aut ſi contingat eoſdem humores extra uaſa putreſcentes in carnoſo genere fuiſſe genitos, ac toto corpore, per uentrem, aut per urinas expurgari, ut pauloante cum Gal. demonſtrauimus, index quoque erit urina eorundem humorum, cum per uenas pertranſeant, tam ſi per uentrem, quam ſi per urinam expurgentur, quod quidem confirmauit Gal. 2. prog. comm. 25. cum dixit urinas eſſe quandoque inditia aliarum diſpoſitionum extrinſecus. Ad hæc urinas ſemper inſpiciendas eſſe præcepit Gal. lib. 3. de morb. uulg. cum dixit *commenta. 2 per tex. 6.*

xit. *Atqui vrinas ſemper memineris, ut ſimul inſpicias in uentris affe-ctibus, thoracis, pulmonis, neruorumque: nam bonæ ſi appareant, multum ualent ad ſalutem, contra ſi prauæ, amplificant ſimul ægri periculum*. *Non itaque ſine ratione Gal. ac cæteri artis medicæ auctores in omnibus febribus, etiam ſi intermittentes fuerint, & humores extra uaſa putreſcant, urinas inſpiciendas eſſe præceperunt.*

Patet inſuper ex his reſponſio ad reliquam tuam rationem cum ais in pag. 21. quòd ſi humores putreſcerent extra uaſa, & in carnoſo genere, febris non eſſet paßio uenoſi generis, cuius contrarium inquit Gal. 1. de criſ. cap. 7. Nam quanuis extra uaſa putreſcant humores in intermittentibus febribus, adhuc ipſe uenoſi generis paßiones erunt, quando quidem, uel ſemper humores qui in uaſis continentur, quanuis ibi non putreſcerent, uel ſaltem eorundem uaſorum tunicæ afficiuntur, ut in hecticis etiam febribus uidere licet, & ob id uenoſi generis paßiones eſſe dicuntur, ac in eiſdem febribus de obſtructibus medicamentis utimur: nã ob humorum qui in uaſis continentur craßitiem, uel lentorem, obſtructiones proueniunt, etiamſi demum extra & non intra uaſa putreſcant, ſtipatis per obſtructionem meatibus, aut ſpiraculis aliter impeditis, eoſdem humores detergentes, ac extenuantes qui parati ſunt putreſcere, & mediatè febres efficiunt: interim etiam eos qui actu putridi ſunt, ac immediata febris cauſa exiſtunt, detergentibus curamus, quanuis extra uaſa putreſcant.

Cũ uero inquis, quod ſi in carnoſo genere putreſcerẽt humores in tertianis, uehementißimi capitis dolores non generarentur; nam quomodo caput aſcenderent uapores illi acres & mordaces, cum non per neruos, quoniam conuulſiones parerent, non per uenas & arterias, cum extra uaſa putreſcant. Aſſerimus nos admodum puerilem eſſe rationem hanc; nam ad carnoſum genus nonnullæ tum uenæ, tum arteriæ perueniunt, per quorum uaſorum tunicas uapores ex putreſcentibus humoribus eleuati caput petere, ac capitis dolorem inferre poſſunt: quemadmodum contingit in inguinum inflammationibus ac cæteris qui in externis partibus generantur, in quibus humores etiam extra uaſa putreſcunt diſperſo ſanguine per cauitates muſculorum, quas ſola ratione contemplamur, & tamen capitis etiam dolores uehementißimi ſæpè numerò ægrotantibus adueniunt: quãuis neque præter rationem uideri debeat, ſi per neruoſum etiam genus quandoque uapores quidam ex putreſcentibus humoribus geniti ad caput perueniant; nec propterea conuulſio-

nes

nes neceſſario pariunt, ut tu credis, Hip. falſo aph. xx. quinti li. citans. ſupereſt igitur quòd cum omnino auctoritatibus, ac rationibus fueris deſtitutus, ut falſa & omnino a ueritate aliena ſit opinio tua: quod uide licet in intermittentibus febribus humores intra uaſa putreſcant, præſertim cum nullibi nec Gal. nec Hip. nec etiam quiſpiam alius artis medicæ bonus auctor, quem uiderim, hanc monſtruoſam opinionem conſcripſerit, quinimò oppoſitum ubique omnes ſentire uidentur; & inter cæteros Alexander citato loco quorundam opinionem conſcribens, quam neque ipſe refellit, ait, quod quanuis hi loco dicebant nõ differre continuas ab intermittentibus, ſed materiæ qualitate, & quantitate, aſſerebant tamen eandem materiam extra uaſa putreſcere, quando pro eius tenuitate & paucitate in extimam cutem efferebatur in ipſis intermittẽtibus: quo etiam loco recenſuit modum quo iſti tuebantur urinas in eiſdem intermittentibus febribus poſſe integra morbi tempora indicare, quando ſcilicet concoctionis initium morbus habet, quando incrementum & ſtatum. Et Princeps Arabum Auic. cap. 1. lib. 4. fen. 1. tract. 2. inquit § & ſanguinis quidem locus eſt intra uenas, cholera autem & phlegma, & melancholia, quandoque putrefiunt intra uenas, & quandoque putrefiunt extra uenas: & ſi non eſt cauſa alia, neque eſt putredo in apoſtemate intrinſeco quod det cordi putredinem continuam, faciunt periodos quos diximus unicuique humori accidere, & eradicãtur, quanuis phlegmatica non eradicetur, quin ibi ſint reliquiæ occultæ, & quando putrefiunt intra uenas, faciunt adhærentiam febris, & non eradicatur. § Quid clarius quod in intermittentibus extra uaſa putreſcant humores, & non intra, ut tu noua dogmata introducens, falſo opinaris.

Quod uerò Gal. illud idem nedum in citatis locis, ſed in alijs quoque confirmauerit, patet primo ex ea auctoritate quam citas primo de morb. vulg. com. 2. licet coneris hanc Gal. ſententiam ut tui moris eſt, uelut reliquas quoque falſo interpretari, ac omnino peruertere: inquit enim citato loco Gal. § in commentarijs de diff. feb. & de criſibus cum alia tum hoc declarauimus propter flauæ bilis exuperantiam febres, & ardentes, & tertianas oriri, atque hoc conuenire inter illas: locis uerò in quibus ſuperfluus colligitur humor diſtare: etenim ſi ardentes febres ſint, in uenis ſuperabundat, præcipuè iocinoris & uentris; tertianæ uero fiunt flaua bile ſuperante, ſeu dominante per totius corporis carnes, & non dixit ubi carnes affluant flauá bile: inquit enim, κατά πασίν ὅλῳ τῷ σώματι σάρκας ἐπικρατούσης τῆς ξανθῆς χολῆς. *Quid clarius quæris*

quod

quod Gal. dicat ¢ quandoquidem uolens manifeſtare quomodo locis in quibus ſuperfluus colligitur humor diſsident, febris ardens, & tertiana, ait. quoniã in ardẽtibus humor ſuperabundat in uenis, & præcipuè iocinoris & uentris, in tertianis ſuperabundat per carnes in toto corpore, & non dicit quod putreſcit intra uaſa, ſed non continetur, ut in ardentibus, quia inſultus tempore ob motus uehementiam natura expellit ad carnoſas partes, ut tu uaticinaris in pag. 22. ſed dixit Gale. tertianas fieri flaua bile ſuperante ſeu dominante per carnes totius corporis, atq; in eis tanquam in loco diuerſo ab ardentibus colligi, neque ait tempore inſultus, carnes affluere flaua bile, ut tu falſo ei tribuis. Quamobrem non minus deceptus eſſe uideris Gal. uerba peruertens hoc in loco, quã in reliquis a te citatis auctoritatibus cum prauè uocẽ § affluunt § interpretatus fueris: ſemper etenim locis in quibus colligitur, & ſuperabundat humor Gal. inquit has febres inter ſeſe diſsidere, ardentem inquam, & tertianam, tam in lib. de diff. feb. quam libris de Criſ. cæteriſque in quibus de his uerba facit. quod quidem haudquaquam ueritatem habere poſſet, ſi in intermittentibus intra uaſa quoque humor putreſceret, ut tu fateris.

Et quanuis te omninò uictum ac deſtitutum ſpe omni inſpicias, cum rationibus, tum auctoritatibus, adhuc pertinaciter quæris tuam falſam tueri opinionem, licet in maiora errata incidas, quærens prauè etiam exponere quæ ſequuntur Gal. uerba citato lib. primo de morb. vulg. in quibus uolens reddere cauſam cur in ea conſtitutione tertianæ febres fuerint numeroſiores genitæ ipſis ardentibus, poſita prima diuerſitatis cauſa quæ locus erat, declarat etiam diuerſum modum generationis earum, & inquit § proinde ſpiraculis impeditis eorum qui natura bilioſa ſunt, quantum bilis in carnoſo genere collectum antea expurgabatur, in hoc ſtatu non purgatum tertianas generauit ardentibus frequentiores; nam hæ quidem ſcilicet ardentes non perinde trahunt originem ex bilioſis retentis excrementis, ſed calore in uaſis & uiſceribus aucto, ab inflammato ſtatu præter modum calido, &c. § Quæ Gale. uerba exponens ais, quod quando dixit § quantum bilis in carnoſo genere collectum § intelligere uoluit uenas quæ ſunt in carnoſo genere, quæ reſpectu magnarum inter alas & inguina exiſtentium, ſunt paruæ. & quod ita ſit, inquis; uide quia dixit, § etenim ſi ardentes febres ſint, in uenis abũdat præcipuè iocinoris & uentris, quæ uenæ magnæ ſunt. At tertianæ fiunt quando non in his uenis humor putreſcat, ſed in uenis quæ ſunt in car-

in carnoſo genere, quæ paruæ uenæ ſunt; obſtructis enim ſpiraculis, impeditaque harum difflatione, de facili humores putreſcunt; ſi quidem obſtructio, & prohibita tranſpiratio putredinem gignunt, ex quo citra dubitationem aliquam tu dicis in omnibus febribus quas putreſcens humor generat, humores intra uaſa putreſcere: uerum in continuis intra uaſa magna, in interpellatis intra uaſa non magna, qui poſtea deferuntur ſuo motu per carnoſum genus. Hæc in fine pag. 22. & principio 23. & demum ſubdis quod iudicio tuo iſta eſt Gal. ſententia. Sed dicas quæſo bone uir, ſi Gal. ardentes febres locis diſtare a tertianis eodem loco determinauerat; in quibus uidelicet ſuperfluus colligitur humor, quandoquidem in ardentibus in uenis ſuperabundat, in tertianis uero per carnes totius corporis, Quomodo Gal. dicta mterpretari queãt, quod per carnoſum genus intelligat uenas quæ ſunt in carnoſo genere, cum ſibi ipſi paucis in uerbis pugnaret, neque in hoc, ut ipſe prius dixerat, tertianæ ab ardentibus diſſiderent, poſtquam ſimiliter ut in eis intra uenas ſuperabundaret humor, etiamſi paruæ fuerint: ſed diceres tu fortè quoniam Gal. adiecit præcipuè iocinoris, & uentris; ſed non aduertis quod non propterea tollitur ea quam poſuerat differentia inter has febres: nec propterea dicendum eſt in tertianis, non in uenis magnis, ſed paruis, humores putreſcere: conſiſtit etenim differentia inter has febres, quoniam in ardentibus in uenis ſuperabundat humor. Et quanuis dicat Gal. & præcipuè iocinoris & uentris, non propterea cæteras excludit uenas, imo uniuerſaliter de omnibus intellexit, præcipuè tamen de iſtis: & ob id cum dixit in tertianis bilem ſuperabundare per carnes totius corporis haudquaquã intelligi poteſt de uenis quæ ſunt ĩ carnoſo genere, ut tu fateris. Nam in quibuscunque uenis ſuperabundauerit flaua bilis, febris generabitur ardens, ut Gal. inquit, tam ſi magnæ, quam ſi paruæ fuerint, præcipuè tamen ſi in uenis iocinoris aut uentris ſuperabundauerit.

An forte generari non poſſe putas continuas, & ardentes febres, ubi bilioſus humor non in omnibus aut maximis, ac cordi propinquiſſ. uenis, ſed minoribus quibuſdam & remotis putreſcant? Atque hoc ſolo diſſidere continuas febres a continentibus etiam ex bile ortis, licet utraque ardentes ſint, & hanc etiam ob rem continentes febres dictæ, unam dumtaxat a principio ad finem uſque acceſſionem habent, hæ uerò plures, quanuis donec morbus ſaluatur, non intermittant, id quod clariſſ. etiam uerbis decretum reliquit Gal. 2. de Criſ. cum dicebat § continuam

tinuam quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem antequam ex toto ſaluatur, non deſinit, etſi declinatio aliqua ſenſibilis appareat: cum uero neque declinatio aliqua ſenſibilis fiat, ſemper uero a primo principio febris uſque ad criſim ſimilis perſeuerauerit & reliqua, § *Et 2. de diff. feb. dilucidius his uerbis illud confirmauit* § *continuarum aũt quæ ex flaua bile proueniunt, duplex eſt ſpeties: altera earum quæ a cõtinuo feruore ſinoche appellantur, quarum uniuerſum tempus in una conſumitur acceſſione, quæ a principio uſque ad finem pertingit: altera earum quæ idem cum genere nomen ſortiuntur, & continuæ appellantur, atque in pluribus circuitibus continentur* § *de qua ſpetie continuarum aduerſus continentes dictas diſtinguens, uerba faciebat idem Gal.*
meth. cap. 4 *nono meth. cap. 5. & 11. eiuſdem, quando dicebat, quod putredo quandoque ſubſiſtit in unaquapiam animalis particula, & tunc febres ſecundum circuitum quendam acceſſiones habent, & non loquutus fuit de intermittentibus, ut tu falsò iterum interpretaris: neque etiam cum Gal. citato lib. primo de morbis vulg. dixit* § *ſpiraculis impeditis ſeu prohibitis* § *intelligendum eſt de uenis paruis quæ ſunt in carnoſo genere, ita quod ipſæ fuerint obſtructæ, ac impedita earum difflatio in tertianarũ generatione niſi de aſtrictione intelligas, cum neque de uenis hic loquatur Gal. neque de earum obſtructione, ſed dicit* ἐπιχεθείσης ἂν διαπνοῆς; *hoc eſt impeditis ſeu detẽtis ſpiraculis ob ipſius bilis copiam eorum qui natura biliosa erant: quoniam non ut ante eadem bilis in carnoſo genere collecta expurgabatur, propterea tertianæ potius quam ardentes accendebantur febres, nam illæ non perinde trahunt originem ex bilioſis retentis excrementis, ſed calore in uaſis & uiſceribus aucto; quamobrem in tertianis genitis, calor neque erat admodum auctus, neque in uaſis, neque in uiſceribus, & propterea neque bilis collecta erat intra uaſa, neque etiam in eiſdem putreſcebat, ut tu Gale. dicta peruertens, ac omnino obintelligens, conaris interpretari. ſed quid opus eſt in re tã clara amplius immorari, cum & ſole clarius Gale. lib. de trem. rig. & palp. manifeſtauerit quod in tertianis, bilis neque redundet, neque putreſcat intra uaſa, ſed in totius corporis carnibus cum dixit* § *medicamentorum enim calidorum uſu quandoque horror ſolus, multoties rigor etiam ſuperuenit, ſicut in ardentibus, & tertianis flaua bile non in uaſorum canis, ſed per carnes mota, uel quod in illis ſupra metrum generata fuerit, uel quod medijs illis natura expurgetur: hoc enim ſolo diſtant ab ardentibus tertianæ: ardentes enim in uaſis bilem delatam, ter-*

tianæ

tianæ per ſenſitiua loca extra habent: ſuper quibus dum fertur, acuitate lædens, dolorem infert: } quæ quidem Gal. ſententia, nec interpretatione, nec gloſſa indiget, cum clariſſimè uelit in carnibus quandoque generari flauam bilem, atque extra uaſa, ex qua cum ſuperabundauerit, ac putruerit, tertianæ febres accenduntur, & hoc ſolo ab ardentibus diſſident; confirmarunt item Hip. *& Gal. bilem generari in carnibus extra uaſa 4. de rat. uictus tex. primo cum dicebant cauſum fieri cum uenæ totius corporis ſupra modum exiccantur, calidas tenues, & bilioſas, acreſque a carnoſis partibus traxerint humiditates. Et propterea Gal. ſententia non eſt, ut tu opinaris, quod in omnibus febribus ex putredine ortis, humores intra uaſa putreſcant, ſed in intermittentibus contrarium ſentit, ut demonſtrauimus. Quamobrem rectè quidē inquis quod pluries neque etiam oſcitanter omnes Gal. libri legēdi ſunt, atque intelligendi ut ſua percipiatur opinio. At tu mi Ferdinande ex his quæ temerè aſſeris, & falſo interpretaris, liquido oſtendis, neque omnes Gal. legiſſe libros, & ſi quos legiſti, haud intellexiſſe: etenim ſi accuratè eos perlegiſſes, neque ſemel dumtaxat, ſed ſæpius, fortaſſe tot nugas non ſcripſiſſes, neque in tot inemendabiles errores incidiſſes.*

Præterea admodum ſophiſticè dubitas, & parum rectè reſpondes in eadem pag. 23. inquiens: At dicet aliquis ſi omnes ex humore ortum habent intra uaſa putreſcente, quare aliquæ deſinunt ad infebricitationem, aliquæ uerò non? Reſpondes primo per Gal. 9. meth. cap. 5. quia aliquæ putreſcunt intra uaſa magna, quæ ualdè uicina ſunt cordi, & nō poteſt materia ſic cito euaporari quam altera putreſcat, aliqua in unica parte, & intra uaſa non magna.

In qua reſponſione erras primo, quoniam non propterea quando putredo fuerit in omnibus aut maximis uaſis, ac cordi propinquiſſimis, continua ſit febris, quia eadem materia non poßit ſic cito euaporari priuſquam altera putreſcat: etenim hæ febres cum continentes, & non continuæ dicantur, unicam habent a principio ad finem uſque acceßionem ut liquet ab eodem Gal. citato 9. meth. & 11. eiuſdem, & 2. de diff. feb. & non habent plures acceßiones, ut tu præſupponis; appellantur autem a continuo feruore ſinochæ ſeu continentes, unamque habent, ut diximus acceßionem a principio uſque ad finem, propterea quod a feruentibus humoribus uapor attollitur plurimus ac continuus: effluit autem foras ob uehementem ſtipationem exiguus, Gal. teſte cit. loco: nul- *locis citatē*

*laque eis ſubeſt occaſio quæ alterius acceßionis principium excitet, ſed uniuerſa materia a principio putreſcit, aut in omnibus, aut principaliorib*us uenis; hinc fit ut ad inſebricitationem non perueniant: & non ut tu fateris.*

Secundo allucinaris cum iterum uelis quod quæ febres materiam habent putridam in una parte, & intra uaſa non magna, intermittant, & quod peius, hoc Gal. falſo tribuis. Quo poſito ſequeretur quod febres continuæ quæ plures acceßiones habent, nunquam generarentur, ſed uel continentes, uel intermittentes ſolum; cuius contrarium uniuerſa medicorum ſchola ſentire uidetur: neq; enim propterea intermittunt febres, ut tu arbitraris, quia materia putreſcit intra uaſa non magna, nam in his, ubi materia putreſcat, febres accenduntur quæ continuæ ſunt, & nõ intermittunt, plures tamen acceßiones habent; quod quidem tu continentibus tribuis; idque non propter aliud, niſi quòd priuſquam una euaporet materia, altera putreſcere incipit, propterea quòd in eis aliqua pars exiſtit quæ præcipuè affecta eſt, & alterius acceßionis principium excitat priuſquam præcedens deſinat. Aſſerendum itaq; erit cum Gal. ac reliquis artis medicæ bonis auctoribus, quòd ubi materia, ſeu humores putreſcant intra uenas, ſiue magnæ fuerint, ſiue non magnæ, ſemper continuæ excitantur febres, neque ad integritatem deſinunt: ubi uerò humor extra uaſa putreſcat, intermittentes generantur febres, quod quidem licet ſexcentis in locis apud Gal. ſcriptum reperiatur, manifeſtiſs. tamen 2. de criſ. legitur, cum dixit cap. 6. *{nam quæ ad inſebricitationem deſinunt febres tertianæ, quartanæ, & quotidianæ, eandem hypotheſim cum continuis de quibus diximus habent, uno ſolo differentes, quòd per uenas, uel per totum corpus deferuntur humores} continuæ uerò febres inter ſe differunt, prout in omnibus ſeu maximis uaſis, aut in quibuſdã, & paruis materia putreſcat: Et propterea illæ unam habent a principio ad finem uſque acceßionem, hæ uerò plures, neutra tamen quoad morbus ſoluatur intermittit, quemadmodum pauloante cum Gal. 2. de criſ. & 2. de diff. feb. concluſimus.*

Cæterùm aduertens fortaſſe quòd hæc tua reſponſio, tuo quæſito ſatisfacere non uidebatur, aliam attuliſti cauſam, quam huius quæſiti ultimam eſſe cenſes, eam autem accepiſti ex Gal. 2. de diff. feb. Quo loco Gal. narratis tribus cauſis longitudinis & breuitatis acceßionis, inquit {eadem ratione neque cur nonnullæ quidem acceſſiones ad inſebricitationem terminentur, aliquæ uero non, eſt difficile inuentu, quando enim

prioris

prioris acceſſionis tempus adeo breue fuerit, ut antequam ſecunda ſuperueniat iam prima quieuerit, omne id temporis ſpatium quod ſecundæ principium & primæ finem interiacet, ſine febre eſt: ſi uero ſecunda inuadere anticipauerit, priuſquam omnino prima ſoluatur nullum interuenit medium ❦ hæc Gal. Verum tu parum animaduertis quòd hæc cauſa quam recenſet Gal. non eſt propria & immediata earum quæ uerè continuæ ſunt ob id quòd humores intra uaſa putreſcant, ſed communis etiam omnibus febribus quæ non intermittunt, etiamſi humores extra uaſa putreſcant: ſunt etenim quædam in quibus licet humor extra uaſa putreſcat, & ob id intermittere deberent, tamen propter humorum craßitiem aut multitudinem, uirium imbecillitatem, ac corporis denſitatem adeo protelantur acceßiones, quòd priuſquam una deſinat, altera inuadere incipiat, & propterea nullum interuenit medium inter finem primæ, & principium ſecundæ acceßionis: quamobrem impropriè continuæ etiam appellari poſſunt, propterea quòd ad integritatem non deſinunt, & non propterea quòd earum materia intra uaſa conſiſtat, ut in ueris continuis, has vulgus medicorum per ſubintrantiam continuas appellat, qua de re Gal. quam hoc in loco continuitatis cauſam enarrauit, non propria eſt uerè continuis, ſed communis his etiam febribus, quæ reuera continuæ non ſunt, cum earum materia extra uaſa putreſcat: dicuntur tamen non intermittentes quodammodo ob dictam cauſam; vera autem & propria cauſa, quam tu ultimam uocas earum quæ uerè & propriè continuæ ſunt, ſiue unam acceſſionem habeant, ſiue plures, ea eſt quam idem Gal. 2. de criſ. conſcripſit, & eſt quòd humor qui earum cauſa exiſtit, non expurgatur, uniuerſus uidelicet qui in acceſſionibus putreſcit, quandoquidem intra uenas continetur, in intermittentibus uero, quoniam uehementer mouetur humor per corpora ſentientia, ac per ſingulas eiuſdem corporis partes diſſeminatur, impetu delationis expurgatur, ſudoribus ſiquidem, uomitibus, aut alui deiectionibus, præſertim ubi redundans humor bilis flaua fuerit, & propterea prior acceſſio deſinit, priuſquam ſecunda inuadere incipiat. Quod quidem idem Gal. confirmauit comm. aph. 63. 4. lib. his uerbis ❦ cum bile per omnem corporis habitum mota rigores accidant, atque ideo ſingulis acceſſionibus expurgetur, atque euacuetur, non abſque ratione ad infebricitationem, talium febrium intermißio peruenit ❦ & deinceps, eandem dixit eſſe cauſam cur quotidianæ & quartanæ intermittant. Tu uero quamuis hæc loca citaueris, ea tamen ut cætera non intellexiſſe

 uideris,

uideris, aut oſcitanter, & conniuentibus oculis legiſſe, cum clarè aduer ſus tuam quam habes de intermittentibus febribus falſam opinionem, concludant: & propterea neque ueram continuarũ, ac intermittẽtium febrium & propriam cauſam nactus es.

Dubitas iterum in pag. 24. & non ab re, inquiens. ſi humores putridi in intermittentibus febribus deferuntur, ſuo motu expulſi a natura per omnes corporis partes ut 2. de diff. feb. Gal. qui poſtea ſudore terminantur, & halitu, ut Hipp. 4. aphor. 63. quomodo ſedimentum pars erit humoris putridi? uidetur hoc eſſe impoſſibile ac præter intentionem quam tu Gal. tribuis. Reſpondes quòd huic quæſito a te latius reſponſum fuit in definitione hypoſtaſis, ubi dixeras humorum putridorum partem craſſam fore hypoſtaſim, quæ tranſpirari nequiuerit, quam cum commodiorem uiam expulſionis non habuerit, natura per urinam expellit, tenuiorem uero per ſudorem & halitum, ac arteriarum compreſſione.

Sed animaduerte quæſo Candide lector, quot ſibi pugnantia, quos ve graues in hac ſua reſponſione hic uir cõſcripſerit errores, ob eorum quæ ſcribit imperitiam. Quandoquidem in definitione hypoſtaſis quam poſuit in pag. 3. dixit eſſe excrementum quoddam craſſum ex alimento quod in hepate ſanguificationem refugit, aſſeruitque eam definitionem communem eſſe ſedimentis ſanorum, & ægrorum corporum; quomodo itaque ait hoc in loco quòd in definitione hypoſtaſis dixerat humorum putridorum partem craſſam, eſſe ipſam hypoſtaſim, ſi de humoribus putridis nequaquam meminit in eis definitione? dixit enim excrementum quoddam craſſum eſſe ex alimento. Quamobrem aut idem ſubintelligit per exerementum craſſum ex alimento, & humores putridos, & ita (cum eadem definitio communis ſit, ut inquis, ſanis & ægris) erunt & in ſanis humores putridi quemadmodum & in ægris, quorum pars craſſa ſedimentum eſt, quo neſcio quid ſtultius & impudentius dici poſſit, uel apertè ſibimet pugnat, cum ibi dixerit eſſe excrementum craſſum ex alimento hypoſtaſim, hic uerò quòd humorum putridorum craſſa pars ſit.

Inquis præterea amens & inſulſe mi Ferdinande, humorum putridorum partem craſſam fore hypoſtaſim, quæ tranſpirari nequierit, quam cum commodiorem uiam expulſionis natura non habuerit, per urinam expellit. Quibus uerbis tandem a ueritate impulſus, parum tamen tuimet memor, etiã te inuito concedere cogeris, quod pauloantè in pag. 20.

ferè

ferè impoßibile eſſe arbitrabaris. Negabas enim humores in carnoſo genere contentos poſſe per uenas amplius expurgari, atque uentriculum petere; quoniam commodius erat naturæ eos per ſudores & halitus expellere; hoc uero loco fateris quòd natura commodiorem uiam non habet, per quam humorum putridorum partem craſſam expellat quam per urinam: qua etiam ratione nec minus commodum erit per uomitum & alui deiectionem eos humores excernere, ubi uentriculum petant, medijs etiam uenis, quemadmodum per urinas: patefacis similiter quam ob cauſam urinæ inſpiciendæ ſint in febribus in quibus humores extra uaſa putreſcunt, etiamſi urinæ indices ſint eorum humorum qui intra uaſa continentur, de quo eodem loco dubitabas, tibique uidebatur ferè impoßibile fore ubi humores extra uaſa putreſcerent in intermittentibus. Nam licet fatearis in intermittentibus putreſcere humores intra uaſa, ais tamen quòd inſultus tempore extra uenas expellantur, & per uniuerſum corpus deferantur, nec dicti humores a natura prius expellantur, quam per omnes corporis partes fuerint delati, & ab eadem euicti, ex quibus demum corporis partibus natura ipſa per urinam eos expellit, medijs uenis.

Amplius ſi humor in intermittentibus febribus, ut inquis in pag. 19 & 20. intra uaſa putreſcit, ſed inſultus tempore ad carnoſum genus extra uaſa expellitur, quomodo ais ſedimentum eſſe ſemper partem craſſam humorum putridorum? etiam in intermittentibus febribus, quam cum commodiorem expulſionis uiam non habuerit natura, per urinam expellit, cum eorundem humorum putridorum partes nedum craſſas, uerumetiam & tenues non prius expellat natura, quam in uigore acceſſionum, ut liquet 2. de diff. feb. & 3. de præſag. ex pul. ſi enim urinæ inſpiciantur in reliquis acceßionum temporibus, aut ſaltem interualli, ſeu intermißionis tempore, quo pacto aſſerere audebis ijs temporibus urinæ ſedimentum eſſe partem craſſam humoris actu putridi exiſtentis, cum natura eos dictis temporibus non expellat & cogeris propterea te inuito fateri ſedimentum urinæ in principio, & incremento acceſſionis febrium intermittentium, aut ſaltem intermißionis tempore, non eſſe partem humorum actu putridorum, cum ipſi ijs temporibus non expellantur, ſed eorum qui apti ſunt putreſcere, id quod maximum eſſe errorem putabas in pag. 18. Nec non tibi met pugnare coactus es, ut qui in hoc toto tuo quæſito aliud non intendis. Non itaque ſemper in febribus præſertim intermittentibus ſedimentum pars erit humorum actu

ctu putridorum, ſed eorum qui apti ſunt putreſcere, & in uenis continen tur ut plurimum, quandoque uero & eorum qui actu putridi ſunt, licet extra uaſa putreſcant, quemadmodum Clariſſ. præceptor meus, clariſſimè definiuit.

Adhæc quomodo ſedimentum pars erit ſemper craſſa humoris actu putridi quæ a natura expellitur per urinam ſi quandoque diuerſum, diuerſis in temporibus in febribus ex putredine ortis excernatur, ſimul cum urinis quoque diuerſis, ut inquit Gal. 2. prog. idque ob humorum diuerſitatem qui in concentaculis conditi ſunt, quorum unus coctus, euictusque a natura eſt, alter uero crudus ſeu inconcoctus apparet, & ob id ſedimentum quandoque optimum interim non tale apparet, ſed diuerſum exiſtit propterea quod in uenis quibuſdam unus putrefactus atque euictus humor fuerit, alter neque putrefactus, neque euictus a natura ut dictum eſt. Nec minus eſſe poterit ſedimentum alimenti & nõ humorum putridorum pars, quoniam & in ægris quoque corporibus quotidie ex cibis oblatis aliquid alimenti in ſanguinis generatione naturæ confectionem ſubterfugit ex quo demum fit ſedimentum, & ubi contingat alterari in quibuſdam uaſis in quibus putreſcens non continetur humor, ac per urinas excernatur, non utique erit pars putreſcentis ſucci, ſed alimenti aſſumpti, quanuis tu fieri id poſſe negas in eadem pag. 24. Ais enim utraque ſedimenta inter ſe miſceri, ac uniri tyrannorum ritu hanc proferens ſententiam, ulla ratione, aut auctoritate fulcitam: nam quemadmodum in concentaculis ipſis diuerſis, diuerſi quoque redundare poſſunt humores, quorum unus coctus, alter uero crudus ſit, & propterea diuerſæ quoque apparere urinæ, ita ut in una die inculpabiles, ſequenti nocte culpabiles uideantur, deinde rurſus tertia die prima luce inculpabiles, poſtea ueſperi culpabiles Gal. auctore citato loco, perinde etiam poterit ſedimentum per urinam excerni in febrientibus, quod quandoque ſit pars alimenti, quandoque pars humoris putridi, ubi in diuerſis uenis ipſum generetur ab ijs in quibus conditus ſit humor putridus quomodocunque putridos humores intelligere uelis: Quamobrem eadem ſedimenta, neque miſceri, neque uniri ſemper opus erit, ut tibi falſo uiſum eſt: idque etiam facilè dignoſci poſſe, quemadmodum doctiſſ. præceptor meus, in ſuo de ſedimento ſcriptum reliquit, non propterea negantes, quod eadem ſedimenta interdum confundi poſſunt, quã do uidelicet id quod naturæ ſubterfugit confectionem ex alimentis in ſanguinis generatione cum putridis miſcetur humoribus in uenis.

Contra-

Contradicis inſuper in his uerbis tibi ipſi,ut ſæpè ſoles cum ais miſce ri,ac uniri in ægrotantibus ſedimenta quæ ex alimentis fiunt quãdo ſan guinis confectionem ſubterfugiunt,cum his quæ ſunt partes humorum putridorum: nam toto hoc quæſito utraque ſedimenta eiuſdem eſſe ſpe ciei probare uiſus es:nunc uero fateris duo eſſe,ac inter ſe ſe miſceri & uniri, neque ob id quod inquis per humorum putridorum te intelligere, quod temporibus præteritis ſanguificationem refugit, & poſtea putre dinem acquiſiuit ad Turiſanum confugiens,pugnantiam uitabis: Nam poſito quod putreſcens humor, ut tu effutire uideris,fuerit ea alimenti pars, quæ præteritis diebus ſanguificationem refugit, quomodo eiuſdẽ erit ſpeciei cum illa alimenti parte,quæ in præſenti die in ſanguinis gene ratione naturæ confectionem ſubterfugit, cum ex illa putreſcens qui ſpiam humor actu fuerit genitus, hæc uero alimenti pars, neque hu mor aliquis actu eſt,neque putredinis particeps,ſed craſſum quoddam alimenti excrementum, in ſanguinis generatione ut dictum eſt, naturæ confectionem ſubterfugiens: erunt propterea diuerſæ ſpeciei duo hæc ſedimenta,quanuis inter ſe ſe miſceantur, ac uniantur. Et quod confu ſum ac miſtum ex utriſque eſt,diuerſæ quoque ſpetiei erit a ſanorum ſe dimento. neque etiam ſi admittatur,ut tibi,licet falsò,uiſum eſt,in ſano rum ſedimento poteſtate contineri omnes humores, adhuc ſedimenta hæc erunt eiuſdem ſpeciei,cum pars humoris putridi, ex humorum pu tredine intra uaſa in febrientibus ſit:ea uerò alimenti portio,quæ hodie ſanguificationem refugit,neque humor,neque putridus eſt, ut diximus. At eſto quod hæc alimenti pars ſit etiam actu humor quiſpiam, nonne poterit eſſe alterius naturæ,& ſpeciei,quam is qui actu putridus eſt? ut puta ſi qui putreſcit humor,ſit ſanguis,uel flaua bilis,is uero qui ho die ex alimento genitus eſt,ſit pituita,ſeu malencholicus humor, aut e contra,talis inquam naturæ cibis oblatis,propterea uelis nolis, ſemper diuerſæ ſpeciei ſedimenta erunt,idque neceſſario ex his quæ hic aſſeris cõ geris fateri.

Sed uideor fortaſſe diu immoratus in refellenda hac praua,& mon ſtruoſa opinione,adeò a ueritate,& Gal. ſententia aliena, ut non ſolum vulgares medicos, ſed nec etiam tonſores ipſos non lateat falſam omni no eſſe. Propterea finem facientes,noſtram firmam,ueram,ac propriã Gal. ſententiam concludimus,& proculdubio confirmamus, quod ſedi mentum ſanorum diuerſum ſpetie ſit ab ægrorum,cum materia, forma efficiente,fine,modo generationis ac ſignificatione etiam diſtent, ut de monſtrauimus.

monſtrauimus. Aſſerimus inſuper quod neque in qualibet febre ſedimentum ſemper ſit pars craſſa humoris actu putridi, ſed interdum humoris qui actu putridus non eſt, & quod in eo non contineantur omnes humores etiam in potentia, ut ſatis ſuperque tum auctoritatibus tum rationibus probauimus: Nec non quod in intermittentibus febribus, humor intra uaſa non putreſcat. Quamobrem reliquum eſt mi Ferdinande, poſtquam tot nugas, ineptias, ac errores incorrigibiles hoc paruo libello conſcripſiſti, malè admonitus, & prauè eruditus, ut ſi quam ſoluiſti pro ijs diſcendis pecuniam præſertim tuo Paulo monacho, & Ioanni Antonio Piſano, a quibus hæc omnia didiciſſe fateris, eam repetas: tenentur ſiquidem (ut mea fert opinio) eam iure tibi reſtituere, poſtquam tam falſa dogmata te docuerunt: interim quoque & ipſi ſtudeant a doctiſſimis uiris bonas artes prius diſcere, & deinde alios docere aggrediātur: nanque oportet, ut 2. de Criſ. inquit Gal. cuiuſdam ſui præceptoris auctoritate in unaquaque re primum artificem fieri, & deinde ſic ipſa opera aggredi; falſo enim opiniones animos hominum occupantes, non ſolum ſurdos, ſed & cæcos faciunt, ita ut uidere nequeant, quæ alijs conſpicua apparent. Tu uero cum fueris hac omnino fruſtratione fruſtratus, ne a nobili tuo genere degenerare uidearis, quam primum ad conſueta parentum tuorum munia redito.

Cæterum non profecto pauciora, imo longe plura fuiſſent animaduertenda errata in altero quæſito, in quo tenes in uenis ſanorum corporū, ſanguinem & pituitam eſſe actu, reliquos uero humores potentia, niſi ad maiora ac utiliora, me ſtudia reuocarent: At dabitur fortaſſe ocium ut ea quoque notare ualeam.

FINIS.



52622 85